ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

LUCTUS

IN OBITUM SERENISSIMI

GEORGII I.

REGIS

MAGNÆ BRITANNIÆ, &c.

ET

GAUDIA

OB POTENTISSIMI

GEORGII II.

PATRIARUM VIRTUTUM AC SOLII HÆREDIS

SUCCESSIONEM PACIFICAM SIMUL

ET AUSPICATISSIMAM.

CANTABRIGIÆ

MDCCXXVII.

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

LUCTUS

IN OBITUM SERENISSIMI

GEORGII I.

REGIS

BRITANNIARUM

ET

ELECTORIS

GAUDIA

DE POTENTISSIMI

GEORGII II.

REGIS BRITANNIARUM VIRTUTUM AC SOLII HEREDIS

SUCCESSIONEM PACIFICAM SIMUL

ET AUSPICATISSIMAM.

CANTABRIGIÆ,

MDCCXXVII.

Exequiæ Serenissimi Regis

GEORGII I.

AUGUSTI cineres! lachrymosi nominis umbra!
Accipe quod *Camus* flebile nectit opus.
Accipe lugubres inter suspiria cantus,
Et quos singultus dent iterare sonos.
Quanquam O! *Cæsareo* nuper lætissima cultu
Noluit has mœstas Musa referre vices.
Quæque tuos nimium ardebat celebrare Triumphos,
Dum molles inter serpat Oliva comas;
Funereâ circum frontes redimita Cupresso
Jam maturatos excubat ante rogos:
Multa gemens, animoque pio tot Munera volvens,
Quot modo Cæsareæ debuerit domui;
Atqui inopem nimium vario se repperit ore,
Nec plures Linguas luctibus esse satis.

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

AD REGEM.

QUIQUE Tuos recreas fractos mœrore Britannos,
Et tantæ cladi ſolus adeſſe potes,
Te colit extincto nimium dilecta Parenti,
Cumque Tuo miſcet vulnere *Granta* ſuum.
Sed quid luctus iners, riguus quid profit ocellus,
Nænia mixta lyris?
Tidi minuit fiducia; *Grantæ*
Te potiente, Parens,
Et quo proprio diſcrimine Iberus
Ferre ſalutis opem,
Furere per oras,
Tuïs
Senecta,
Imago,

Ex Ædibus Sidn. Suſſex,
Procancellarius.

Ad

Ad GEORGIUM II^dum.

NUNC Muſa Occaſum Solis, nunc reſpicit Ortum:
Dignus & hic locus eſt, dignus & ille coli.
Mox, contacta novi radiis & numine Phoebi,
Cultum offert Nato, quem tulit ante Patri.
Nempe olim didicit non caſſis lumine Sanctis,
Nec cineri ignaro tura precesve dare.
Ergo Patrem memori meritum ſic mente tenebit;
Praeſentem agnoſcit Te mea Muſa Deum.

Gulielmus King, Honoratiſſimi Viri PETRI, Baronis de *Ockham*, & *Magnae Britanniae* Cancellarii, Filius natu Tertius. E Collegio S. S. Trinitatis.

Ad REGINAM.

CUM Thalamos, CAROLINA, tuos, & Cæſare dignum
Connubium Auſtriaci ſollicitavit Amor:
Illecebræ Imperii nullæ, ſpes nulla Coronæ
A ſanctâ amovit pectora vera fide;
Firma manes, animi conſtans, Diadema nec ullum
Deſertæ pretio Relligionis emis.
O Cœlum egregiis ſemper virtutibus æquum!
Quis merita illuſtris tanta rependit Honos!
Multus Honos creſcit Meritis, & pulchrius omni
Imperio Angliacum Te Diadema manet.
Angliacum Diadema, quod O! feliciter ornes,
Junctaque ſi poſſint vota valere, diu.
Et quam prætuleris Sceptro cum conjuge ſacro,
Longum & condecores & tueare fidem.

Rob. Smyth Baronettus,
Coll. Trin.

Ad AUGUSTAM, REGINAM *Excellentiſſimam.*

DELICIÆ Anſpachidum! Pater Optimus, Optima Gnata,
Ille ſui Populi, Tu CAROLINA Tui.
Electorales, a Leinæ Littore, & Ockræ,
Heroas, Luget ſicca Sabrina ſuos.
Regius Exceptâ Tameſis Caput Erigit undâ,
Auctus & Eyſnâco à Fonte refundit Aquas:
FRED'RICO ditante Oras; ſuaviſſimus Amnis,
Purus & à Flavo Tybride Roma Tuo —
Jactat Troja, Unam Paridem elegiſſe Dearum,
Et Nos Te Unam, unà es, Juno, Minerva, Venus.

N. Lloyd Miles, Aul. Trin. Cuſtos.

ויהיו משחק כלה
שוחק מת ומשחק גם כלה
וכנימוס לא מת מלך
נשוב נשחוק ומע תלך

והמלך תודיעו בן כל חמו
אשר שמו ועזו בו
לצחוק נשמר ושר שלום
לשני שני אין כלום

ואתם שמחו ברחונים
שותק כומרין מיזחדים
להכח שם נאורגיוסכם

לא פסדיקוס לא אנדריאוס
לא דיוס לא סן יגוס
נאורגיוסכם הוא מלכנם

PROXIMUS a Primo numerari digne, GEORGI,
Unice; Rex, Uni, Magne, Secunde Patri.
Anglorum Decus, & Tutela GEORGIUS Alter!
Qui Genii, & geminum Nominis omen habes.
Auſpiciis Succede novis; Maturus habenas
Suſcipe, robuſtâ & fræna regenda manu.
Invitus cape Lora; poteſt Quo Soſpite nunquam
Brunſwicûm priſcâ Laude carere Domus.
Amiſſæ Leviùs Virtutis damna ferentur,
Quæ Juvenis Surgit viribus aucta novis.
Accipe defuncti propè dona extrema Poëtæ,
Vel certe nolit qui Supereſſe Tibi.

Te

Tecum vivere amem; at mihi demptos ſi Deus annos
Addiderit Veſtris, mors mihi munus erit.
His ego regnantem Terris, Populoque volenti
Ipsâ in morte videns, gaudia quanta feram!
Famam alii captent inſcripto marmore Regum;
Ipſa, ut Tu vivas, vult Elegeia mori.
Quæ tàm crudeles optârit carpere Lauros,
De tumulo ut Victrix Muſa Superſtes ovet?
Ambitioſa nimis, vivóque indigna Patrono,
Quæ velit Herois vivere morte Sui.
Defuncti mox ut Vatum virtute reſurgant,
Non tanti Reges eſt cecidiſſe Pios.
Communi vitæ tantum decedit Honoris,
Accedit quantum, Muſa Superba, Tibi.
Non ſibi noſtra petit Patris de Funere Laurum,
Sed vitæ potius conſulit Illa Tuæ.
Ille Immortalis toto Spectatur Olympo;
Semper & Arctöo Lucida Stella Polo.
Ditabis Cælos reparando Sæcula Præſens,
Hîc Te Immortalem ſi velit eſſe Deus;
Et velit. Ingenua admitte hæc ſine fœnore Vota,
Officio nec ſint ſimplice grata minùs.
Ite Leves Elegi, triſtesque faceſſite Muſæ,
Nunquam Elegos poſthac ſit ceciniſſe mihi.
Sed nec bella velim, longas ſed condere Paces,
Et Doctorum ederas dicere, pacis opus.
Artesque, & varias Sapientum evolvere curas,
Si qua Tuum inſignis Pagina Nomen habet.
Aut Fidei ſiqua, & primævi Dogmatis ultrix
Audet, ſub Fidei Vindice, Vindicias.
Fors Ipſe accedam ingenti percuſſus amore,
Si Te dictarem digna, Sinantve Dies.
Biblica Perſarum repararem Nomina Regum,
Et Seriem; ut Chriſti tempora vera darem;
Juſtas rerum Epochas, Edictaque, Queîs ſtetit Ædes
Alta Dei; & Capti nobile Vatis opus.
Ad Regem, hoc melius de Regibus, & Duce Chriſto:
Aures iſta decent, Principis, atque Pias.
Dignius Hoc, quam ſi disjecti membra Poëtæ
Colligat, atque ferat Cura Secunda Tibi,
Caſtigata Stylo; Limâ atque Incude recuſa;
Aut His ſiquid adhuc durius Iſta crepat

Fabrica. Grammaticos Hæc non fert Anglia Reges,
Sed ſemper Plenos ſorte beata Viros.
Sic Te, cùm modò ſurgebas Moderamen ad Altum,
Maturus Regni finxerat Arte Pater.
Ille Tibi documenta omni potiora Magiſtro
Tradidit Auguſtæ fortia facta Domûs.
Hìnc Juveni Tibi ruptæ acies, ubi Sceptra mereri
Sudavit victrix dura per arma Manus.
Principibus Pueris pariter Tu, Magne Magiſter,
Oſtentas noto tramite Laudis iter,
Ut quondam famam, & repetentes facta Suorum,
Non minuiſſe velint, ſed cumulare novis.
Macte animis, FREDERICE, vocat Te Celſus Olympo,
Cerne, Avus; & clarâ ducit ad Aſtra viâ.
Imbuit hîc Cælo Genitor Te Maximus armis,
Virtutum accendens, Sydera vera, faces.
Alter adeſt Tibi WILHELMUS, qui ferre ſecundas,
Ritè gradu ſuppar poſſit & ire comes.
Quîcum partiri curas, cui pondera regni,
Et ſummam poſſis credere conſilii.
Perſica nec Fratrum metuentur jurgia; Neuter
Privato, at ſemper Principe Uterque ſatus.
Nec Te ſollicitet nimiùm, Germania primos
Vagitus ſenſit quod, FREDERICE, Tuos;
Anglia ſed primo Hunc quod Patria ſuſpicit ortu;
Firmat Natura, & Lex utriúsque genus.
Nec refert cælum Princeps quibus hauſerit oris,
Viderit at primùm Quo Genitore diem:
Heröas, celſumque animant hæc ſemina pectus;
Communis vulgo, & Regibus aura patet.
Spes, FREDERICE, Prior Tu regni; Hic fidus Achates
Succreſcit Lateri, præſidioque ſubit.
Ille Tibi regnum affirmat; Te Civibus Anglis
Exhibet, immemores nec ſinit eſſe Tui.
Ille viam Pelago pronam mox pandet aperto
Claſſe citâ, & ſurdas opprimet inſidias.
Mox idem occurrens Tibi prima ad littora lætus
Mittet ritè dato Te in Tua regna ſolo;
Ipſe genû preſſum Domino aſſeret, & Tua Primus
Officio ſupplex adſtruet imperia.
Tùm collo implicitus Fraterni prima Favoris
Præmia captabit dulcibus alloquiis.

LUCTUS ET GAUDIA.

Gaudia quæ! Amplexus! Fratrum & certamen amicum!
Tùm primùm viſi Qui micuêre oculi!
Qui teneri Luſus rogitantûm ſingula! Qualis
Mutua mirantûm Luxuriabit Amor!
Jamque iter ad Regem & Magnos rogat Ille Parentes,
Nondùm ſat viſo detur ut ore frui.
Tùm greſſu rapido ſub celſa Palatia Fidus
Hic ducet cuſtos Milite diſpoſito.
Nobile viſentes Fratrum Par Junior Heros
Summovet increpitans leniter, ore, manu;
Majoris Laudes, devotaque Pectora Plebi
Lætitiâ effuſæ ſuaviter inſinuans.
Mox Patris Hunc gremio imponens, Charæ Ipſe Parentis
Dextro hæret, Lævo Regia Virgo Sinu,
Quælibet Apta Throno, & Reges domitura Superbos
Pluribus illecebris, ſed pietate pari;
Una animis, verè Charitum Trias, Autve Dearum
Nomine Summarum Juno, Minerva, Venus.
Ut dubitet Formæ Paris arbiter, & dare malum
Non niſi diviſum poſſit ut Ille Tribus.
Téque adeò Decus Hoc Ævi, Te Matre Superbum,
Humanum perget, Diva, beare Genus.
Reſpuis oblatam Romæ ſub jure Coronam;
Proque unâ Triplex nunc Caput ambit Honos.
Hinc diſcent Nati Terris Cæleſtia dona,
Et Mundo Puram præpoſuiſſe Fidem.
Vive precor, Sanctos Divis auctura Penates,
Fultura & multâ Sceptra Britanna manu.
Currite, Vitali ducentes, Currite, Fuſo
Principibus Pueris Stamina firma, Deæ.
Perge animis; Populo haud Uni dabis Illa quotannis
Munera Chara Viro, dignaque munera Avo.
Debentur Multis tot Pignora, Pluraque Plures
Expectant Dominos mox Sibi Regna dari.
Regia Virtutum Tu Semina prodis Alumnis
Primum conceptis, non moritura, Sinu.
Dîs Genita, & Genitura Deos! Tua cura fovere,
Quæ dare Sola potes, Semina, Sola poteſt.

Phil. Bouquet, S. T. P.
& Ling. Hebr. Profeſſor
Trin. Coll. S. S.

VIX ſtrepitum belli, & properantes undique ad arma
Siſtimus hoſtiles turmas, ſonitumque tubarum:
Anglus in arma ferox, placidâ quoque lætus olivâ,
Vix galeam deponit humi, gladiumque recondit,
Dulcia tranquillæ ſperans ſolatia Pacis:
Cùm ſubitò ingenti turbantur gaudia luctu;
Nec multùm abfuerat, quin uno tempore Fama,
Velox Fama malum, nimis, heu! jam nuncia veri,
Attulerat nobis Pacem, mortemque GEORGÎ.
Uſque adeò nihil eſt inter mortalia dona
Aut ſtabile aut certum; ſed ſuccedentibus horis
Spesque metusque dolorque & gaudia pectora noſtra
Fluctibus alternis agitant, & turbine perflant.
Ergo piis lacrymis, Britones, juſtoque dolori
Huc uſque indulgere licet, ſed non datur ultrà.
En ſolium Angliacum conſcendit GEORGIUS alter!
Par Regno; virtute ſuâ, virtute paternâ
Natus ad Imperium; Belli Pacisque perinde
Artibus inſtructus: Quàm invictis fulminat armis,
Rhenus, Danubiusque hoſtili ſanguine tincti
Teſtentur. Nobis, Princeps placidiſſime, laudes
(Muſarum ad ſedes, & amœni flumina Cami)
Hinc celebrare libet: Gemini commercia mundi,
Et nulla Angliacis non explorata carinis
Æquora —— Tutamen Doctrinæ, Relligionis ——
Et Legum intemerata fides — Hæc gloria Regni,
Hæ Tibi ſunt artes, exoptatiſſime Regum,
Ipſe Tibi Diadema tuum! his virtutibus ornas
Imperium, & duplici effulges ſplendore Coronæ.
Quare agite, O Britones, veſtrum celebrate Parentem,
Patronum, Regem; luctumque abſorbeat omnem
Hæc vox læta, *diu vivat* REX GEORGIUS *alter*:
Vox geminata iterum! & redivivo Stentore digna.
Quid porro? longa & felicia tempora REGI,
Et, CAROLINA, Tibi conſortia ſceptra tenenti;
Et SOBOLI, & REGNO nunquam peritura precemur.

Tho. Croſſe, S. T. P.
Aul. Cath. Magiſter.

POST

LUCTUS ET GAUDIA.

Post gelidas Hyemes, concretas frigore Terras
Ver tepidum redit, & mox grata ſupervenit æſtas;
Utque nitent melius ſoles, & Lumine puro
Mortales recreant, densâ jam Nube relictâ;
Sic, Princeps dilecte, Tui poſt Fata Parentis
Gaudia reſtituis Britonum, Te publica Vota
Agnoſcunt præſens Numen, Dominumque ſalutant.
Naſcentem excepit quamvis Germania Nutrix,
Te quamvis repetunt popularia Flumina Rheni;
Aſpice, ut Oceanus plenis circumfluit undis,
Imperioque Tuo Subjectas porrigit ulnas;
Anglia geſtit Ovans Tibi Corda animosque manusque
Tendere, jamdudùm Meritos largitur Honores.
Exultantem armis Juvenem Te Conſcia Laudum
Flandria conſpexit, mediâque in morte ruentem
In denſas acies fœdoque cruore madentes:
Quid Bello poteras, ſenſit, Diſcordibus armis
Jam poſitis, Europa petens nova Fœdera Pacis.
Hæ Tibi ſint Laudes, Populos Tua Dextera jungat
Connubio ſtabili, Pergas Tria Regna beare
Virtute & Thalamo fœlix, & qualis Eliza,
Sit CAROLINA Suis, Britonum Lux altera Gentis.

R. Lambert, S. T. P. Coll. Divi Joh. Evang. Præf.

Ut cum profundis abripiens diem
Sol merſit undis Lampada fulgidam,
Timore noctis ſempiternæ
Exanimem tremefecit orbem;
Sic cum receſſit morte GEORGIUS
Ademptus atra, Fama Britannicas
Sparſit per urbes, protinusque
Attonitæ tremuere Gentes.
Hunc jam Statorem Pacis, & Arbitrum
Europa Belli viderat; at Facem
Quaſſat rogalem Mors, proterva
Vertere Funeribus Triumphos.
Sed cur tumentes fudimus exteros,
Si parta Laurus Gadibus ultimis,
Hiſpanico ſub ſole florens,
Angliacis moriatur hortis?

En! Te, GEORGI, Volga Hyemalibus
Subjecta Cælis, Te timuit ferox
  Iberus, oris quas uterque
    Sol oriensque videt cadensque.
Sed fruſtra! Inermem Fata premunt Ducem
Et non paventem funera Martiis
  Heroa Campis, Pace tandem
    In media perimit Senectus.
Sic Neſtor haſtam concutiens trucem
Evertit arces fulmine Troicas,
  Ætate ſic longa gravatus
    Pacificus requievit Urna.
At O! Quis ille eſt clamor! ut, ut Polos
Invadit altos! cur ſonat undique
  Io Triumphe! ac O Triumphe
    Ingeminata remugit Echo!
Agnoſco, Regni Sceptra GEORGIUS
Poſſedit alter, gaudeat Albion,
  Et Rege fœlices Britanni
    Angliacum celebrate Regem.
Vos O rubentes Sanguine Flandriæ
Obteſtor Agri! Quantus in Arduum
  Surrexit Enſem, dum vagatur
    Indocilis metuiſſe lethum.
Qualis Sonoro Murmure proruens,
Diſrumpit altos Thameſis aggeres,
  Et ſtrage proſternit colonos
    Diluvium meditatus arvis,
Flagrante Talis Marte GEORGIUS
Fertur per hoſtes; ſic acies metit
  Sic frangit obſtantes Catervas
    In mediis furibundus Armis.
Ah! ſiſte curſus ſiſte nimis nimis
Ferox in hoſtem, & Prodige Sanguinis;
  Mercede non hac luctuoſos
    Solliciti petimus Triumphos.
Vos O Deorum ſiderei Chori,
Servate Regem! Tu Britonum diu
  Fruare Sceptris, O GEORGI,
    Teque diu Britones fruantur.

Edm. Waller, M. D. Coll.
Div. Johan. Soc. Sen.

INGENTES

LUCTUS ET GAUDIA.

INGENTES luctus, ingentia gaudia Cantu
Uno Muſa ſimul complectitur, aſpera lætis
Miſcens, ſic viſum Superis, qui Numine juſto
Nubila nunc pandunt ſubitò nunc lumina Cælo.
Mortem fata jubent, AUGUSTE Britannice, Patris
Lugere invicti, lacrymisque aſpergere funus
Nulli flebilius quam nobis; Optimus ille
Muſarum Patronus amœna colentibus arva,
Præſidium, Columen, Munimen; honoribus Artes
Muneribusque auxit, quæ ſæcula nulla tacebunt.
Non deſiderio tam Chari Principis eſſet
Aut modus aut finis, ni Tu, Celeberrime GEORGI,
Dextram porrigeres miſeris, animoque juberes
Eſſe bono: Tu, dulce decus, ſolamine læto
Erigis afflictos prohibens ſuccumbere luctu,
Speque novâ reficis, Te Principe, credere fas eſt
Non abiiſſe Senem ſed jam Juveneſcere Patrem.

Edm. Caſtle, A. M. C. C. C. Soc. & Acad. Orator Publ.

CARMEN ARABICUM, *propter defectum Typorum, Literis Hebraicis expreſſum.*

מא הדא אלצות בנתר
מא הדא אלהתף נפלר
חות אלרהבי פי אדנינא
צות אלמותר עלינא
אלמלך פי סדה
באר טרק אלמותה
אן בשר צעאף
וסט עיש נאא דאף
אידא עז אוגאע נגל
מלכי לנא נסל
בך כל אמלתנא
בך כל סעודנא
מלכת אהלא בך
יא אנת אם אלך
אלאלה ביאכמא
וכל אנסאלכמא
טולוא כר אהלכמא
יחסד אקתאלכמא

L. Chappelow, S. T. B. S. Joh. Coll. Soc. & Prof. Arab.

Ad Dominum HEDGES.

O Regni arcanis *Hedges* admiſſe, Britannis
Pro rebus inſomnes agens
Nunc foris excubias; Patriæ qui multùm & amatæ
Præſente plus abſens times;
Solve metûs rerum, felix; atque in Mare Tuſcum,
Quod proximum eſt, Ventis dato.
GEORGIUS en! Patrium cinctus diadema, Bonorum
Per vota mille millium,
Per populum æterno rumpentem ſidera Cæli
Clamore, conſcendit Thronum.
Plusque amet ille ſuos, magis an redametur ab illis,
Diſcrimen obſcurum manet;
Et maneat ſemper!—velit hoc! qui tecta JACOBI
AUGUSTA cuſtodit, Deus;
Cui Pater & *Tameſis*, lætoque in margine *Fana*,
*Turres*que *Londini* placent.
Quis neget, ingentem quamvis, ſepelire dolorem
Felicitate hâc temporum?
Quod ſi quando redux *Finchlææ* rura reviſes;
Vitemque, quæ culpat moras
Tardantis domini; tum quas colis, Auſpice Phœbo,
Laurûs, odoratum nemus;
Si mihi qui fugiens te carum avexit Amicum,
Pòſt reddet optanti Dies,
Præteritis meliora ferens; tum ſoli, in amœno
Et fortuito ceſpite,
(Non facit ad fletum luxus) memorabimus altum
Herois extincti decus.
Qualis erat quantusque Deûm & conſortia quærens
Diſceſſit Humanâ viâ.
Huic quoque Tu lacrymam ſparges; Tu, Care, *Miniſtri*
Fidelis, & *Vatis ſacri*.
Qualem Melpomene fundit, cum lubrica rerum
Mirata, & incertas vices;
Spes Hominum longas ævo in brevi, & ultima primis
Heu proxima, adplorat lyræ.
Dulces illa modos digito ciet; udus Ocello
Dum manat e triſti dolor.

S. Harris, Linguarum Hodiernarum,
& Hiſtoriæ Profeſſor Regius.

ΚΛΑΙΕΤΕ Μυσάων περπολοι, λιγυροῖο γόοιο
Πᾶσα γέμοι Γερέντη, Καμοιό τε πίονες ὄχθαι·
Οὕνεκα Γερανιάσι Μύσαις πολὺ φίλτατος ἀνδρῶν,
Αἰχμητὴς κρατερὸς, βασιλεὺς τέθνηκεν ἄρεως.
Ἤρωα τειπόθητον ὀδύρεται αἶα Βρετανὶς
Ἀχθομένῳ κεφαλὴν κρύπτυσ' ἐνὶ κύμασι πόντου.
Οὐχ ὕτω τετελεσμένὴ ὀΐσατο ῥήμαθ' ἕσεσθαι,
Οἷσιν ἀπερχόμενος λαὸν προσεφώνεεν ἥρως.
" Κλῦτέ μευ, ἀνέρες ἑταῖροι· ἐγὼ μὲν πλόον εἶμι
" Ὀψόμενος πατέρας τε φίλας ἠδ πατρίδα γαῖαν.
" Τλῆτ' ὀλίγον· νόστος γὰρ θεῶν ἐνὶ γούνασι κεῖται.
Κοίρανος ὡς ἔφατο πρόφρων αἰνίγματα λυγρά.
Διογενὲς Βασιλεῦ, κλεινήν σ' ἐνομίζομεν αἶαν
Γερμανῶν πρόσθιόν γε, ἠδ αὐτίκα νοσφίσομαι·
Νήπιοι, ἀ νοέοντες ὅτ' ἀρχόθεν πρόφρονες εἶτε,
Ζηνός τ' ἐκγεγαὼς αὖτις ποτὶ Ζῆνα βαδίζεις.
Τέκνα νῆσος ἅπασα τέρεν κατὰ δάκρυον εἶβε,
Τὸν φοβερὸν ποθέουσα, τὸν ἱμερόεντά σ' ἄνακτα,
Ἱμερόεντα φίλοις, φοβερὸν δ' ἐχθροῖσι Βρετανῶν.
Τέκνα κλαίουσι Μοῦσαι, κλαίουσιν ἀοιδοὶ
Τὸν κρατερὸν βασιλῆα, ἰδὲ φίλτατον ἔσχε Μύσαις,
Μορφήν τ' ἠδὲ φυὴν ἐναλίγκιον ἀθανάτοισιν·
Ὅς ῥ' σκηπτοῦχων ἀρεταῖσι διέπρεπεν ἄλλων,
Ὅσσον τ' ἠέλιος πάντ' ἀστέρα πολλὸν ἀμαυροῖ.
Ταῦτ' ἄρα δάκρυ χέοντες ὀδυρόμεθ'· ἀλλὰ σὺ χαίρεις
Δώμαθ' ἐν ὑρανίῳ θεὸς ἄμβροτος, ὐκέτι θνητός.
Λήγετε, Πιερίδες, κλαυθμοῖό τε λήγετ', ἀοιδοὶ·
Κεῖνος τετιμάκαρ ἐστὶ, τετιόλβιος, ὐδὲ μὲν ὑμεῖς
Δύσηνοι πάμπαν ῥ' ἀνόλβιοι· ὐκέτι δάκρυ,
Νῆσος ἅπασα, κατεῖβε· ΓΕΩΡΓΙΟΣ ἄλλος ἀνάσσει.
Ὡς ταρβεῖ στρατὸς ἐξαπίνης ἀρχοῖο πεσόντος
Αὐτίκα μὲν θανέεσσι ὁϊόμενος δαὶ λυγρῇ·
Ἦν δὲ πόρῃ βροτολοιγὸς Ἄρης ἑτεραλκέα νίκην,
Καλοὶ ἀκόντιαι Παιήονες ἀντὶ γόοιο·
Ὡς ἄρα ταρβήσαντες ἀποφθιμένοιο τοκῆος,
Χαίρομεν ὡς ὑὲ πατρώϊα σκῆπτρα λαχόντος.

Χαῖρε μάλ', ὦ Βασιλεῦ, χαῖρ', ὦ κύδισε, μέγισε·
ΚλεινόταΘον πατέρΘ τέκΘ ἔπλεο κλεινοτάτοιο·
ἌξιΘ εἶ φορέειν σκῆπτρον Θ σέμνα γονῆος.
Ἐνθάδε σοὶ κατέχειν κλέΘ ἔασε) ἄφθιΘον αἰὲν
Εἰρήνλω πτέρυγας πετάσασαν ἐς ὐρανὸν αἰπύν.
ΑὐτόμαΘ ὃ τελεῖ πόνΘς πολιδέξε) ἀρχὴν·
Ἤθνεά σοι χερσαῖά θ' ὑπείξε), ὅπλι κελεύοις·
Ἀσπόνδοι ὃ τεῷ βασιλεῖς ὑπὸ δορὶ πεσόντα.
Σοὶ μὲν ταῦτα μελήσι· ἀτὰρ νομοὶ, ἠδὲ θέμισες
Αἰὲν ἄρ' ἰσχύσυσιν ὑπὸ προμάχοιο τεοῖο.
Τοῖος ἐὼν, Βασιλεῦ, νήΘιο μὲν ἄλγεα παύεις.
Ἐν δὲ δάμαρτι τεῇ, τεκέεσί τε θαλλομένοισι
Χαρμοσύνη πολέας μὲν ἀέξεται ἐς λυκάβαντας.
Χαίροις, ὦ ΚΑΡΟΛΙ͂ΝΑ, γυνὴ μάλα φερτάτη ἀνδρὸς,
Σῇ γὸ ἐν εὐτοκίᾳ μάκαρες τελέθοσι Βρετανοὶ·
Ἀλλ' ἔτι κὴ πλέονας βλάστοις βασιληΐδι ὄζους
ΔώμαΘ, ἥρωας κὴ ἀμύμονας ἡρωΐνας.
Ἀλλὰ σὺ μακραίων τε κὴ ὄλβιΘ αἴθε γένοιο,
Διογενὲς Βασιλεῦ, σύν τ' αἰδοίῃ ΚΑΡΟΛΊΝΑι
Δηρὸν ἄρ' ἔνθα μέλοις, κὴ ἐς ὐρανὸν ἀστερόεντα
Ἐμβαίνοις χρόνΘ, πλήσης ἐτέων τὲ κὴ ὄλβε.
Χαῖρε πάλιν, κὴ ταῦτα δέχε δωρήματα Μουσῶν,
Καὶ Μούσαισιν ἀεὶ τελέθοις σωτήρ τε πατήρ τε.

Gualterus Taylor, A. M.
Linguæ Græcæ Profeſſor Regius,
& Coll. SS. Trin. Socius.

GEORGIUS ad Superos attollitur; Inclyta Virtus,
Quæ Regem ornavit, jam facit eſſe Deum.
Albion Infelix! prohibent tua crimina Reges
Hâc regione pios ſiſtere poſſe diu.
Quàm mœſto inceſſit viduata Britannia Vultu?
Ad Cælum Manâ corripiente Viam.
Quot pia Vota tulit ſuperis, quæ Thura cremabat?
ANNA, ut Cælicolis ſera rediret Avis.
Non valuere preces, nec Thura,; Utraſque Sorores
Præſentes Divas Anglia non meruit.

Sup-

LUCTUS ET GAUDIA.

Supplicium extincti CAROLI nos triſte manebat.
Exigit infandum tanta piac'la ſcelus.
Jam faciles luſtrate Deos: ecce Omina læta!
Filius AUGUSTUS Sceptra Paterna tenet;
GEORGIUS Alter adeſt, quem ſupplex Anglia adorat
En! Sume Imperii fræna jubente Deo.
Aurea Diî mandant procedere ſæcla, Stuartûm
Cælo demiſſa eſt, en! veneranda domus,
Jam redit ANNA Suis, redeunt & regna MARIÆ
Talem Ore atque animo ſe CAROLINA refert.
ANNAM ſuſpicitis reducem! quæ dona reportat?
Inſtaurat pulchram, pulchra parens, ſobolem.
Præſens Diva redit, Matrique ſimillima proles
Purpureo Ore docent ſe genus eſſe Deûm.
Ecce iterùm ſummo lapſus Glovernus Olympo
Emicat Angliacæ ſpesque decusque domûs.
Quàm placido Ore venit! forti quàm pectore & armis!
Cæleſtis juvenem quàm Vigor intus alit!
Geſtabit magnos olim, quos fugit, honores
Nomine mutato, Rex FREDERICUS erit.
Bourboniam Gallus Gentem, & ſibi jactet Iberus——
Arma tua expertus Miles Uterque pavet.
Huc & flecte Oculos, Heroas proſpice, Roma,
Quot Tibi funeſtos regia tecta fovent.
Det ſtabile imperium Deus his, ac propria firmet
Munera, largiri Splendidiora Nequit.

Rob. Leeke, A. M. Coll. Div. Joh. Soc.
Procuratorum Alter.

Ad ECCLESIAM.

PANDITE Vos, Delubra, fores, ut GEORGIUS intret,
GEORGIUS Angliacæ Religionis amans.
Ut gaudet Liber ille Precum, Communia Vota,
Inſeritur medio dum CAROLINA ſinu!
Spes habet et quantas, concepit Gaudia quanta,
WALLIACUM ut teneat Pagina Sacra DUCEM.
Jam Pax, Jam Pietas exultat in Æde Britannâ,
Te, GEORGI, agnoſcunt utraque Dona Patrem.

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

En Fidei Defenſores! nulli æmula *Mater*,
Invictus *Pater*, & Tu, *Frederice*, *Puer*.
Quis potis eſt audax triplicem Hanc removere Columnam?
Non Fraus, non Orcus, Papa nec Ipſe valet.

J. Wilſon, A. M. Coll. Trin. Soc.
& Acad. Taxator Sen.

Bibliotheca Pullata.

BIBLIOTHECA *ſuum Dominum* lugere videtur.
En tibi! LUGENTES ANGULUS omnis habet.
Auguſtum MARO *Te*: *Maecenas Tu*; *Tibi*, GEORGI,
FLACCUS: & hìc promit *Triſtia* NASO *ſua*.
Terni adſunt prompti, ſed & altera——QUAE FUIT ILLA
LUGUBRIS SOROR?——hanc ANGULUS alter habet.
ANGULUS omnis habet LUGUBRIA: & ANGULUS omnis
GRANDIA: Quin DULCES ANGULUS Iſte ſonos.
Nempe canit REGEM:——TE, TE, DULCISSIME GEORGI!
Jamque canunt mixtim: GEORGIUS OMNE MELOS.

R. P. P. T. inv.
S. H. a Biblioth.
del. & ſc.

NOX ERAT, & Coelo fulgebat Luna ſereno: *INSOM-*
Ipſe foris: propero jam pedes ire domum. *NIUM*
Mens mihi ſuggeſſit placidae dare membra quieti:
Feſſa labore haec ſunt; illa dolore gravi.
Dormivi: poteris bene tu neſcire quot horas.
De *Somno* rogitas? accipe qualis erat.
Dulcis erat: ſed abit: Caput erigo: Jamque quota hora eſt
Scire volo: At ſanè neſcio adhuc quota erat.
Atque utrùm *Porta* hoc mihi miſit *Eburnea* necne
Quod vidi in ſomnis neſcio. Dulce fuit.
MANE RUBET, Notusque *Sonus* mihi *Tinnulus* Aurem
Mox ferit: hìc Aures erigo: Quid ſibi vult?
Deinde Oculos: Quid ait mihi Tinnulus? *I*, *pete Templa*,
Templa petas ſupplex, *& venerare Deum*.
Cùm redeo, reputo Chartaeque haec Carmina mando.
Nocturnum duplex *Viſum* erat hoc & idem.
Iſtud habe.——

——[a] *Platea*

—— [a] *Platea* eſt GRANTAE, quae ducit *ad* Urbem
Londinum: [a] *Muſis* hinc *ſacrae* & inde *Domus*.
En! mihi praecedens (*non incomitatus hic*) *Hoſpes*,
Noſtrorum (ut viſum eſt) ſingula ſcire cupit.
Egregii Vultûs *Ille*, *Ingenui*que Pudoris:
De facie haud aliter cognitus *Hoſpes* erat.
Pergo; Via eſt eadem mihi & huic: Mox *Molem* in eundo
Ecce *recens ſtructam*: híc ingrediturus erat.
Me rogat Haec quid ſit, cum *Salve* dixerat: ipſe
Salve inquam, (ut viſum eſt) Diſcere noſtra cupis.
Turgida Nominibus REGUM híc eſt Pagina multa,
Indultisque quibus Nos fruimur tumida:
Sed *quali Dono* Muſarum GEORGIUS AEdes
Nunc *locupletavit*, Pagina nulla nitet.
Atque ferunt REGUM Titulos híc *Moenia* multa;
Sed nihil his par *quae* GEORGIUS *ornat* habent.
Aemula *Vindobonæ* eſt *Libraria* noſtra ſupellex.
Multa Antiqua Domus *Vindobonenſis* habet.
GEORGIUS at nobis jamdudum qualia miſit,
Nulla Antiqua Domus *Vindobonenſis* habet.
Stet tibi, CAESAREUM *Tectum*, per me licet uſque
Fama; (nec invideo;) Stet tibi Salvus Honos.
*Ditius Ornatum*que *magis*: Locus *Amplior* eſto:
(Et tamen haec de Te non ego credo quidem.)
Te multum jactes longo ſuper ordine REGUM,
Quorum opibus turges, CAESARIBUSque Tuis.
Tu ſervito Tuis: placeas Tibi deinde Tuisque:
Publica ſed *magis* eſt *Noſtra* futura penus.

[a] In hâc PLATEA, (*Trompington-Street*) hæc Collegia & *Eccleſiæ* ſequenti Ordine (& *ferè* Situ) ſunt, *viz.*

ad Dextram,	*ad Siniſtram*,
** Coll. S. Joh. Ev.	*Eccl. Omn. Sanct.*
Coll. SS. Trin.	
Coll. Gonv. & Caii.	*Eccl. S. Mich.*
Scholæ &c. & BIBLIOTH. REG.	*Eccl. Magn. S. Mar.*
* Coll. Regal. cum Sacell.	*Eccl. S. Edv.*
	Eccl. S. Benedict.
	Coll. ejuſd. ſeu cccc.
Aul. Cath.	
	Eccl. S. Botolph.
Eccl. parv. S. Mar.	* Aul. Pemb.
Dom. Petrens.	

A Tergo Biblioth. & Scholl. eſt Pars *vet.* Coll. Regal. *Pone hanc* Aul. Trin. *&* * Aul. Clar. *& pone Aul. Cath. eſt* * Coll. Reginal.

In *Plat. alterâ* quæ *eſt Longior*, & poſita ad *Orient.* (& *priori annexa* conſtituit formam *litteræ* y *revers.* cujus *Pes ad Septentr.* ubi eſt Coll. Magd.) ſunt

ad Dextram,	ad Siniſtram,
	Caſtellum, ubi Ergaſt. Mons.
Eccl. S. Pet.	
	Eccl. S. Ægid.
	Coll. S. M. Magd.
	Eccl. S. Clem.
	Eccl. Rotund. S. Sepulch.
	via ad Coll. Jeſ.
	* Coll. Sidn. Suſſ.
Eccl. SS. Trin.	
Eccl. S. Andr.	* Coll. Chriſti.
	Coll. Emman.

Remotius ab Oppido ad Orient. inter prata ſitum eſt Coll. Jeſ. *hinc ſuper* CAMUM *ſurſum vehare verſ. Occid. & Auſtr. præter Coll. Magd. & Coll. S. Joh. uſque ad Dom. Petr. ita ut Magd. ſit extra & cætera omnia intra fluvii Ambitum.*

Hoc Signum ☐ *notat FORUM GENERALE vulgò dict. The MARKET-HILL.*

Altera, quae REGUM ſunt, ſunto quoque æmulâ noſtrûm:
REGUM ſunt *Opera*, at *non* ea *Dona* tamen.
In mage *privatos* uſus *Armaria* REGUM
Haec inſtructa nitent. *Talia* NOSTER habet.
Id prope quod *Tameſis* fluit *unda* celebre *Jacobi* eſt:
Id quoque quod *Lunæ* Nobile *burgus* habet.
Sunt *duo*, (namque aliquid dixi ſuper ordine REGUM,)
Sunt *duo* quos vocitat BIBLIOTHECA ſuos.
Primi ambo de Gente ſuâ rexere BRITANNOS:
ILLE STUARTIADUM *Primus*, HIC HANNOVERUM.
ILLE dedit—nec debetur locus infimus ILLI.
Auguſtus Donum hìc *iſtud* habet *Loculus*.
Æquum erat. *Haec noſtrae* poſtquam eſt concredita *Curae*,
Fulgentem ut *Gemmam Capſula Bella* tenet.
Deque *ejus* memini *Dono* ceciniſſe Poëtam,
" UNICUS *eſt Nobis* BIBLIOTHECA LIBER.
Sed Loculi *pluſquam decies ter mille* referti
Hujus erant *Donum Grande Voluminibus*.
Non aliquid tale olim habuerunt *Oſtia Nili*;
Non *Sequana* alta aliquid tale, nec *Iſis* habet.
Non ſimili Gazâ Dominatrix *Roma* ſuperbit:
Non ſimilem Cuſtos jactat *Apollineus*.
Siſte gradum, ſodes; Tibi rem, niſi forte moleſtum eſt,
Narrabo totam. Hoc en Tibi! namque vides
Ut *Locus* iſte *amplus ſtructis* ſcatet undique *Libris*:
PRAESULIS HAEC primùm BIBLIOTHECA fuit.
(MORE, Tui memores ſumus uſque: HAE ſint Tibi *Grates*,
Qui Tibi adornâſti talia, quique Tuis.)
ILLE Animam efflavit: peritura erat HAEC ſtatim; at IPSAM
Huc REX ad noſtram juſſit abire domum.
Auratûm niſi *multorum* non *millibus* empta eſt,
Jamque redempta. Habet hanc uſibus illa Tuis.
Haud rerum ignarus REX HIC, ſed noſter Amicus,
Conſiliique potens, iſta locavit ibi.
Alterum enim *Regni* DECUS ET TUTAMEN in *His* eſt:
Non TANTUM in Nervis, Fulva *Moneta*, Tuis.
GEORGIUS ILLE olim dedit ISTAM BIBLIOTHECAM.
Quid narras, inquit, Mœnia? ſive Libros?
Et *Libros* dedit, inquam, & *Fundamenta* locavit
Quam tam *Magnificam* conſpicis ILLE *Domus*.
Haud aliter credes me verum dicere, ſi tam
Βιβλια quam Θηκη BIBLIOTHECA ſonat.

Funda-

Fundamenta quidem: — Sed & altera [a] *Nomina Muſis*
Chara, (quibus Famam participare datum eſt,)
Singula certatim coeunt, dare quodque Puſillum
Laeta, ſibi *AEternum* & conciliare *Decus*.
Eſt etenim locus, inquam, *Stipatoribus iſtis*,
Queis dedit ILLE *ſuum* participare *Decus*.
GEORGIUS hos recipit *Comites*; nam *Candidus* ILLE eſt:
Quid dixi! — volui, *Candidus* ILLE fuit.
Nunc, — ah quid memorem! — noſtris deceſſit ab oris
Candidus, — atque Domos ceſſit in AEthereas.
Fama manens, *Anima haec*, ait, annumerabitur *Illis*,
Quas juvat *hunc* circum convolitare *locum*.
GEORGIUS à Terris paulùm Turbâque receſſit,
Aurâ híc ut poſſit liberiore frui.
Inde SOMERSETTUS micat, *Aſtrum Nobile*; *Nomen*
Hinc & ANESLEII; Muſam & uterque fovet.
Hic prior eſt atque *Ille* prior; ſed *utrumque* Camaena
Diligit; & CAMUS *Nomen utrumque* fovet.
Ornare hæc, (quippe haec à REGE & *Præſule*,) *Præſul*
DAWSIUS *Ille Eborûm* certat amore pio.
Certat, nec poſt hos veniens, cognomine CHANDOIS
Dux, qui *Parnaſſo* eſt *Charus* & *Angligenis*.
Hunc, (ut Trojugenam quondam non paſſibus æquis
Aſcanius,) ſequitur *Noſter* & *Aſcanius*.
Te Pater AEneas & *Avunculus* excitat *Hector*:
Tu, de CAERNARVON BRUGIS, *Iülus* eras.
Juxta SOLIS iter vocitata *Galaxia* Coelum
Cingit *Zona*, ſuis *fulgida* ſideribus.
Et prope Te, GEORGI, latus & Tibi cingere gaudens,
Unica non haec eſt, Altera *Turba* micat.
Omnes quid narrem? non haec centeſima pars eſt:
Ne narrem prohibent *Gaudia*, *Lingua*, *Dies*.
Gaudia quæ Populum tetigere, & Nos quoque tangunt;
Lingua diſerta parùm; non ſatis haecce *Dies*.
Mater at *Alma ſuo* volet *hos* celebrare quotannis
[a] *More* pio, dabitur *bis* ubi *cuique ſuum*.

a *Faſtos non habeo coràm: nec penes me ſunt. Sed eorum* Nomina *(cum* Donis) qui Primi *aliquid* ad Structuram Bibliothecæ Regiæ contribuerunt, *prout nunc Memoriæ occurrunt, habes infra-Script. Hæc cum reliquis, poſt cujuſque obitum* bis *(more Academiæ)* quotannis, *recitanda ſunt* in perpetuum *è Suggeſto* in Templo B. Mariæ *finitâ Concione. Deinde ſequuntur, Hymnus* TE DEUM, *Pſalmi, cum alio Hymn. Cantu figurato, Gratiarum actione &* Oratione ad Deum *pro Gratiâ* ad rectum Donorum uſum.

REX *ultra ſuum aſſenſum Decreto cuidam quod vulgo appellatur* Act. Parliam. *dedit prout infra.*

GEORGIUS I. REX *Bis Mille.*	*Libras*	2000	Ducc. de Chandois { Hic *Mille*		1000
GEORGIUS } Pr. Wall. { Hic *Mille.*		1000	Hæc *Quingent.*		500
CAROLINA } { Hæc *haud memini quot*			Mar. de Caernarvon. *Trecent.*		300
Archiep. Eb. *Centenas p. Ann. haud memini quot*			Com. de Angleſey *Quing. annuatim p. A.* 4.		2000
Dux de Somerſet *Quingent.*		500	V.-Com. de Townſend *Cent. haud memini quot.*		

Hæ REGIS *Millenæ ſunt (niſi fallor) ad petitionem Honoratiſſ.* Duc. de Somerſet, Canc. Acad.

O Vos Felices! quibus haec a REGE BEATO,
Foemina ait, (namque hîc *Foemina* pulchra fuit.)
Dulci ex ore fluunt affatim, REX, TIBI Laudes:
Haec fata est; bibulâ Hic accipit aure sonos.
Mox haec ingeminat, REX ET REGINA BEATI.
Rectè inquam, & Felix haec CAROLINA dedit.
Haec itidem posuit *Dux Illa* Beata Mariti
Quae à CHANDOIS *felix* Nomine *Nomen* habet.
Haec alia,——Ecce Tibi! Nostrûm quoque *Foemina* Curam
Saepe gerit memor, & *Foemina* saepe pia est.
Quot COMITUM & REGINARUM *Collegia* servant,
Ut [a] *Fundatricum*, Nomina? Sex minimum est.
Quin Septem, Quin Octo. Aliae hîc sunt praeter easdem,
(ANNA, tuum memini, & Nomen, ELIZA, Tuum,)
Quæ benefecerunt Nobis longo Agmine; Laude
Principibusquc Viris Agmina juncta pari.
Virtutum Turres modo *Mas*, modo *Foemina* scandit;
Difficile utcunque hos sit superare gradus.
Hae superant *Coeli*que *Vias*, & ad *Astra* feruntur:
En! hinc ad Laevam *Bella Caterva* micat.
Quo feror? Ah! TU me ducis CAROLINA; beata
TU REGINARUM, REGUM eademque ferax
Mater es, & *Conjux* REGIS, *Nutrix*que BRITANNÛM.
Quin *Vive*, ut merita es, *Prole beata Tuâ*.
ALBION hinc DOMINAS longinquas mittet in Oras:
Gaudebit felix REGIBUS Ipsa suis.
CAROLUS——*Angligenis* dulce hoc & Amabile *Nomen*.
CAROLUS —— Et duplex Id quoque Nomen erat.
(TU *Dotes* & *Nomen* habes utriusque perenne,)
Hic Genio excelso Clarus, & *Ille* Pius.
TE *Matres Istis* cognatam, TEque *Puellæ*,
*Cognomen*que amplus suspicit ecce Chorus.
TE sibi *Matris* adhuc vel *ab ubere* pendula Charam
Infans, (nec *Mater* Charior ipsa *sua* est,)
Gaudens accipere è REGINAE Nomine *Nomen*:
Atque statim Dulcis Risu erit accipiens.
Moxque *Procis*, & deinde *Viris* placet: haud erit *ullum*
Gratius *Angligenæ* quàm CAROLINA *Tuum*.
Hoc dixisse mihi *Dominis* super & *Dominabus*
Esto satis: nam aliquid Grandius Hora petit.
Si tamen *hocve Choro*, quidquam Tibi, MAXIME GEORGI,
Hócve Satellitio Grandius esse potest.

[a] Vide Stellulas *** in E. 2.

Ignoscas

Ignoſcas, precor, hoc mihi, REGUM MAXIME, ſi quid
Aure ſacrâ indignum eſt, *Somnia* dum refero. *APOLOG.*
Si *longo Sermone* moror TUA Tempora CAESAR, *cum GRA-*
Sim precor in Turbâ dignus ego veniâ. *TULAT.*
TE *Populus* totus *longo Sermone* moratur.
An veniâ dignus? Dicere id eſto TUUM.
Hæc ſibi condones unò Omnes ore precantur:
Quippe *Novum* hoc aliquid: *Spiritus intus agit.*
Inter *Triſtitiam Populus* diſtractus & inter
Gaudia, (nam *dubius Vultus* ubique manet,)
Quid loquitur neſcit: Scit quiddam Grande parare
Fata ſuae Genti, & dicere geſtit ovans.
Quid ſibi Fata parent certum eſt neſcire Popellum;
Et tamen hoc aliquid dicere geſtit ovans.
Dicere geſtit ovans: Feſtinat fundere quidquid
Venerit in Buccam, dummodo Grande ſonet:
Feſtinant properi: properant quo? ad PRINCIPIS *Aulam:*
Primus Quisque volans tangere Limen avet.
GEORGIUS hos omnes patitur, Vultuque ſereno
(Quin placido potiùs) porrigit ILLE *Manum.*
Oſcula dant omnes, dant *Oſcula*, Millia, REGI:
Et coràm timidè Conſcia Turba ruunt.
Lingua jubet REGEM *multum ſalvere.* Quid illa?
Pectus eam jubet hæc dicere, pectus *Amor.*
Garrula Gens facta eſt ſubito quæ non ſolet eſſe:
Sed Laudes, GEORGI, garrit ubique TUAS.
" GEORGIUS *a Primo*, PAR PRIMO, Sceptra BRITANNA
" Vendicat, & (SIBI quae vendicat) ILLE tenet.
" ILLE tenet Clavum; rapidas jactata per Undas
" Navis eat tuto: SPLENDIDA STELLA oritur.

Verane ſunt haec quae narras? REX inquit: at haec quae
De *Dominis* narras, *Magnificâ*que *Domo*?
Nunc partim ſunt: mox ego caetera credo futura:
Et fando audieram Talia ſaepe Vigil.

Muſa Anus eſt: *Garrit:* didicit male docta *ſupremo*
Preſſa *Dolore* loqui; hìc preſſa *Pudore* ſilet.

Sol Vernus quâ Parte *oritur*, radiisque coruſcat, *BIBLIOTH.*
Haud procul a Viridi Ripâ, prope flumina Cami, *REGIAE.*
Turribus ad Coelum ſurgit redimita *ſuperbis* *Conſpect.*
Quatuor Alta Domus: Maria huic de Virginè Nomen;
Virginis et Matris Nomen per ſæc'la Beatae:
Sacra Deo. — *Supplex*que precem Hìc Academia fundit:
Diſtribuens fundit LUCEM HINC ET POCULA SACRA
Alma Parens.
Huic *ex Oppoſito* rurſum *Domus Altera* ſurgit:
Auroram pulchrâ facie aſpicit *Illa* rubentem:
Ad faciem Templi facie *Illa* eſt verſa *viciſſim*:
Pulchris Tota & *Divitibus* ſuffulta *Columnis.*
Templum illud *Domus* hæc *geminis* amplectitur *alis.*
A *Dextrâ Haec* Tibi, *ſi Londinum tendis*, & *Illud*
A *Laevâ* eſt. Tendis *Londinum* Verſus *ad Auſtrum.*
Hancce Senatus habet; *Judex Hanc* poſſidet *Alam*,
Et *Faſti*, & *Muſaea Tuis*, Woodwarde, decora
Donis, &, Ludovice, *Tuis*; Híc *Ille venuſtus*
Scalarum Ornatus qui ducit ad intima, quique
Veſtibulum hinc illinc & *ad haec* & *ad altera* pandit.
Híc erit *Introitus*, *Foribus pulcherrimus*, unde
*Conſpectus*que Loci *interior* patet *amplus*, ubi *Iſte*
Theſaurus, tantùm non infinitus, habetur;
Theſaurus GEORGI. Pone eſt *vetus illa* Supellex
Quâ priùs ornata eſt *Veneranda Academia*, quâque
Multùm alias inter Doctiſſima *claruit olim*;
*Illa*que quam *creſcens* ſibi comparat *Ipſa recentem*;
(Namque parat, Rustatte, *Tibi*; parat, Anna, *Tibique*;)
Quamque alii donant. Pone eſt quoque magna *Domorum*
Congeries: Huic Quæque ſuisque eſt Uſibus apta.
Alma ſuis Pueris aperit *Nutricula* Mammas
His uſa, & fundit LUCEM HINC ET POCULA SACRA.
Sive *Adoleſcentum* Grex ſit, ſeu nuper *Adulti*
Sint *Homines*, quoſve *Athletas Eccleſia* ſumet
*Paſtores*que *Duces*que Suos; *Hos* congregat *Iſtic.*
Prompti omnes adſunt quoties vocat *Haec* in Arenam.

Sam. Hadderton, S. T. B.
(Bibliothecæ Communi. Præfect.)
Coll. Trin. Soc.

LUCTUS ET GAUDIA.

ILLE ego qui tenui celebrabat Arundine REGEM
Defunctum; in Causâ BIBLIOTHECA fuit:
*Heroum*que çatervatim dare *Nomina Famae,*
Ob bene res geſtas, BIBLIOTHECA, *Tuas*
Tentavi, —Ah! quid feci amens!——fuit Unus & Alter
Nominis aut expers, aut ſine Laude ſuâ.

TENE quaſi incelebrem omittam, *Celeberrime* TOWNSEND?
Inve ſalutatum? Aſt hoc mea *Muſa* vetat.
TU ſuaſu Primus REGEM (aut ego fallor) amico
Moviſti, & noſtri haud immemor IPSE fuit.
Dictum audit: Factum eſt: Ad GRANTAM huc ire jubetur
Haec res, quam jacto; BIBLIOTHECA MORI.
Quid ſit ea haud opus eſt aliter dicam: Hoc ſatis unum eſt.
Divitis & Docti BIBLIOTHECA MORI.
Haud ignota loquor; MORI eſt bene nota ſupellex;
Moxque per *Europam* Nota futura magis.
Proderit *Europae,* Famâque ferente volabit;
Inſignita volans NOMINE GEORGIACO.
Europae dixi? ſuper & *Garamantas* & *Indos*
Fama volat properans dicere, [a] LEWIS ait.
GEORGIUS *Europae Vindex,* Hic *Arbiter* Idem, &
Foedifragûm Domitor, Laude perennis erit.
Idem adipiſcetur parem in omnia ſaecula Laudem,
Clareſcens Opibus, BIBLIOTHECA, Tuis.
Haec malè ſi memini pridem ipſe, *Heroas* & inter
TE haud cecini, id TU ne verte mihi vitio.
Si non TE cecini niſi poſt, cùm forte praeire
Fas erat, id TU ne verte mihi vitio.
Forſitan in Culpâ eſt *Morpheus*; neque Cuncta recurrunt,
Quando Oculos inter Vincula ſomnus habet.
Forſitan in Culpâ eſt VICE-CANCELLARIUS Ille,
Omnia quod non ſint Nomina facta palam.
Nondum *opus* [b] *Exactum* eſt: Locus eſt & *Pluribus Umbris.*
Illuſtres Animae Hae! Grande Satellitium!

a Invecta eſt hoc Anno in Acad. BIBLIOTHECA ORIENTALIS, ex dono Viri Rev. GEOR. LEWIS, *Archi-Diac. Meidenſis.* Incitamentum ad ſtudium Lingg. Orientt. Continens præter Lexica, Hiſt. & Authores maxime celebres ab ipſo Lingg. perito per Annos 20 in Orient. collectos. Marmor & Tabellas Argent. & Æream, (Characteribus varr. Orientt. affabrè inciſis) Specimina *Nummorum* multt. *Rachann. Argentt. Siamenſſ. Globuloſſ. Argentt. Indd. Argentt.* Rotundd. & quadratt. *Numm. Aurang Zeb.* cum *filiorr.* & *Patr. Shah Jehan. Argg. Siamenſſ.* vil. metal. rotundd. & angulatt. *Inſ. Sumatr. Aurr. Regn. Golconda Aurr. Indd. & Sinenſſ. Aurr. Maurr. Arabb. Perſſ. Turcc.* magg. & minn. *Argg.* & res alias rarr. plurr. quam ut hujus ſit loci omn. vel attingere: In *Pluteo* ligni pulchrè rubeſcentis, dict. Mahog. (Manubriis & laminis Ær. undique ornato) adeò *eleganter* diſpoſita, Ut *Ars* cum *Opulentiâ* (victoriâ dubiâ) certare videatur.

b Ala Dextra ſive Aquilon. (undè ut ordiremur viſum erat expedire,) ſtructa eſt, & intus penè finita. Ad ſtructuram partis Principalis nunc accingimur: Ædificiis vett. dirutis, foſſis paratis & lateribus, alia jam paramus.

c *Archiep. Eb.* qui nunc eſt, & *Regi ab Eleemoſ.* applicand. curavit 50 *libr. p. Ann.* uſui *Lectoris Ling. Arab.* cui *Linguae diſcendae* multi omnium ordinum nunc gnaviter incumbunt, *hâc re excitati.*

Quas juvat in noſtris, in Sedibus hiſce morari:
  Quae Laurus noſtras carpere Dulce putant.
Nec mihi conceſſa eſt harum Cuſtodia rerum:
  Te non poſtremum híc Altera *Muſa* manet.
Noli indignari: Nec eras ſine nomine Solus;
  Tunc itidem TECUM GEORGIUS ALTER erat.
Alter & Alter erat: ſibi WALLIA vendicat iſtos:
  HUNC habuit DOMINUM; *Gloria* & *Ille* fuit.
Quis DOMINUS, NONDUM FREDERICO PRINCIPE, PRINCEPS?
  ILLE habet híc Nomen, nec moriturus erit.
Cui quem conjunxi, quia Nomine jungitur, idem
  Ipſe habet híc Nomen, nec moriturus erit.
[a]LEWISIUM dico; atque *Animum* fert *Principis Ille.*
  Crede mihi, eſt Dignus qui comitetur EUM.
Jamque [c]EBORUM PRAESUL, Tibi, GEORGI, conſulit *Alter,*
  LEWISIOque ſuam jungere gaudet opem.
TOWNSENDO quid plura? ſatiſne habet *Ille Negoti,*
  Necne? *Ejus Pectus Res* habet *Imperii.*
REX vocat: auſculta: haud volo TE, TOWNSENDE, morari:
  Laudibus exiguis hiſce carere potes.
Audieram tamen, & fateor me audîſſe, latenter,
  TE quoque *de propriâ* Multa parare *penu.*
Quis dixit? certe is qui dixerat Haec bene novit:
  Aut dederas Multa, aut pollicitatus eras.
Deſine *Muſa* loqui TOWNSENDO: haud indiget *Ille*
  Tu ut ſatagas Aurem vellere: Mitte loqui.
Namque amat *Ille* quidem *Muſas*, & amatur ab *Illis*:
  Caetera TOWNSENDO deſine *Muſa* loqui.
Quae cecini, Gratè cecini, mihi *Muſa* reponit.
  Quando haec cunque audis, *Pone ſupercilium.*

a & c *Nott. Vid. in Pag. Praced.*

S. H. Acad. à Biblioth.

ET Pater & Natus moderatur in orbe Britanno,
  Se regit Hic, Regnis imperat Ille Suis:
Ille Hoſtis Motus ſervat, viresque coercet,
  Hic animi Motus ſub ditione tenet:
Quæ majora putas Palmaria? ſummus uterque
  Victor adeſt, Hæc ſunt Prolis, & Illa Patris.

Gulielmus Janſſen, Filius Natu Quartus,
Theodori Janſſen Baronetti. Aulæ SS. Trin.
Soc. Commenſalis.

O PATER!

LUCTUS ET GAUDIA.

O Pater! O Cuſtos! Georgi O mitiſſime Regum!
Siccine languentem Britonum fruſtraris Amorem
Qui te ſuſpirant, reditusque in Imagine blandâ
Hærent ſolliciti, atque almâ ſpe triſtia mulcent?

At Jam fida ratis ſalvum per Lubrica Ponti
Præſtitit, ac Batavæ ſacrum dat pignus Arenæ:
Albion audierat; gaviſaque in omine fauſto
Æquatam pelagi faciem, reditusque ſecundos
Jam tibi promiſit, nec fata aliunde timebat.
Viſum aliter Cælo: duri vis improba Lethi
Te rapit, atque alia vitam in tellure relinquis.
Heu Dolor! Heu nunquam Lachrymis explebile Fatum!
Jamque Deo ſimilis Virtutem atque optuma facta,
Diſſimilis nimium ſolâ Tu morte probaris.

Natura infauſtis aliorum funera Regum
Sæpe monet ſignis inſtare; elementa tumultu
Miſcentur magno, tonitruque horrenda minatur.
Late fuſa quies, & rerum pulchrior ordo
Effugientem animam Georgî morientis honeſtant,
Jam Divis placata ſuis Ille omnia lætus
Viderat, æternoque ligârat fœdere Pacis:
Ergo Deûm voluit cognatas viſere ſedes,
Cuique nihil potuit majus dare, linquere Terram.

Sic Pater Omnipotens poſuit fundamina mundi,
Suſpenditque globum terrarum, & in Æthere finxit;
Dein maria extendi Juſſit, ripasque vereri,
Aëris & tenui circum omnia fudit amictu:
Extemplo indomitum vis ignea natâ vigorem
Aſſerit, ac ſuperas cæli conſcendit ad auras.
Tum leges dedit immotas, & fœdera certa
His ita diſpoſitis, factoque hic fine quievit.

At Parce ulterius vano indulgere dolori,
Albion, & longos incaſſum ducere fletus,
Georgius alter adeſt regnique capeſſit habenas,
Quì ſeſe expediet rerum per acuta ſagaci
Pectore, & amiſſi reparabit damna Parentis.
Haud ſecus Arctoi longe trans litora Ponti
Zemblæ Terra jacet, certis quæ menſibus Anni

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS

Nunquam Sole caret, ſed ab illâ parte ſeneſcens
Dum parat auratos Titan abſcondere vultus,
En! parte ex aliâ nitidum caput alter Apollo
Extulit, ac roſeo perfudit lumine Cælum.

Gul. Mabell, A. M. Coll. Chriſti.

CARMEN ARABICUM, *Literis Hebraicis expreſſum.*

מלכנא נחו אלומנר׃
גאא באלעשם אלחכמר׃
וסלאם באלאידר׃
דאמל לאלמסכונר׃
מות נטורת דאגל׃
כלף מלכ גיורגס׃
קאל לי הא יא ואגל׃
כן בבשר מחכדם׃
מנר׃ איאם תכדה׃
כלהם לבנ חחרו׃

Edw. Hubbard, A. M. Aul. Cath. Soc.

HANNOVIÆ, GEORGI, quà primas hauſeris auras,
Ultima jam vitæ linea ducta tuæ.
Sic placitum Cœlo, ut Mater, quæ blanda fovebat
Te gremio infantem, conderet una ſenem.
Mater habet corpus, proprio mandatque ſepulchro;
Nos Britones fruimur mente animoque tuo.
Grata recordanti lux eſt, qua ad limina noſtra
Veneris, & ſemper grata ſit illa dies.
Attulit illa dies Reges, Natumque Patremque;
Reginam adduxit, Progeniemque ſuam.
At nunc Unus abeſt, quem nos deflemus ademptum,
Singula quem proles orba Parente gemit.
Communes luctus communia gaudia poſcunt;
Qui finem imponat fletibus ecquis erit?
Quis potis eſt, GEORGI, nunc tanta rependere damna?
Natus quem terris liqueris Ille poteſt.

Johan. Goodricke, Coll. Trin. Soc. Com.
Hen. Goodrick, Baronetti Filius natu Max.

NUPER

NUPER læta Diem celebrabat Laude perennem
Anglia, quæ partûs conſcia Regis erat:
" Vivat, iô! vivat Rex GEORGIUS, Unica vox eſt:
Vota eadem Proceres, Plebs eademque ſonant.
" Vivat, dum Patriæ atque ſuos devicerit Hoſtes;
" Dum totam Europam Pax ſtabilita beet:
" Vivat!——at Heu! media inter Gaudia, Fata propinquant;
Regia nec Pietas rumpere Fata valet:
Non Pietas, licèt Huic ſit magna Potentia Cælis;
Non, licèt Hæc Certam pandat ad Aſtra Viam.
Aſpicite, ô Britones, quod regnet in Æthere Sidus!
Aſpicite, & mecum credite, GEORGIACUM.
Proximus à Primo regnandi accede Labori,
Tu, GEORGI, Imperii Pondera ferre potens;
Hæc Leviora, Necem chari quàm ferre Parentis,
Morte repentinâ quòd Tibi raptus obit:
Artes Imperii didiciſti More Paterno,
Maximus Hic Princeps, qui bene paret, erit.
Tu bene Parebas, bene Tu Regnabis; Habenas
Regni, quas Merita & Jura dedere, cape.
Nunc jactat Duplices Eccleſia ſacra Parentes,
Te Patrem, & Matrem Te, CAROLINA, ſuam:
Nil deſperandum eſt, Reginâ & Rege favente;
Hanc quòd Uterque regunt, Hanc quòd Uterque fovent:
Hanc regat Ille diu Fidei Defenſor, & Illa,
Illa! diu in gremio nutriat Alma Suo.
Et Nati Natæque, & qui naſcentur ab Illis
Ad Rerum Finem Sceptra Britanna gerant!
Seu Pax inciderit, ſeu dignum vindice Bellum,
(Auxiliis egeat, qui Tibi nulla feret!)
Conſule Te, GEORGI, & Proceres, fidumque Senatum,
Dorſettum ante Omnes, qui memor uſque Tui:
Qui primùm noſtras Patrem accelerabat ad Oras,
Neve Duci obſtabat Terra, nec Unda Maris:
Quem nullæ Partes, quem nulla Periclà movebant
Officiis, Idem qui Tibi ſemper erat:
Idem ſemper erit: Patriæ ut Pater Optimus audit
GEORGIUS, è Natis Optimus Ille cluet.
Dorſetto ſocium Te addas, *Comptone* diſerte,
Primus Tu Populi, Primus ut Ille Ducum:

Comptone, ô carum Noſtris & amabile Nomen!
Tu Populi Mentes concilia, Ille Ducum.
Principe ſub Tali, ſub Defenſoribus Illis
Anglia tuta Domi eſt, Anglia tuta Foris.

Ad Honoratiſſimum CAROLUM *Comitem de* MIDDLESEX, *Ducis* DORSETIÆ *Filium natu maximum, Unum é Nobilibus Pueris in Scholâ Regiâ* WESTMONASTERII *jam Commorantibus.*

SURGE age, Magne Comes, *Dorſetti* Maxima Proles,
Te cingant Socii, Regia Turba, Tui.
Tu primus ſcribas, Te publica Muſa ſequatur;
Tu facias notâ Carmina culta Lyrâ.
Huc & Avus *Carolus*, Pater Huc *Lionellus* adurget;
Dignè olim Musâ qui nituere ſuâ.
Inſuper, Huc ſtimulat Vis Propria, Tectaque Muſis
Sacrata, & Præſens Numen Eliza Loci.
Præcipe lugubres Cantus, & Fata GEORGÎ;
Gaudia ſuccedant, GEORGIUS Alter adeſt!
Tum Juvenis Juvenem FREDERICUM Carmine pingas,
Ores, ad Britonas lenis ut Aura vehat:
Ut Regere Angliacis diſcat FREDERICUS in Oris;
A Patre nunc, Pater eſt ut bene doctus Avo.
Ut poſthac à Rege iidem Tibi dentur Honores,
Quos nunc fert Genitor, quos Avus ante tulit.

Robertus Parran, S. T. B. Trin. Coll. Soc. Sen.

QUALIS Beatam Delius Inſulam
Cum viſit Arcu depoſito, Cypri
Seu qualis optatos Receſſus
Cum repetit Cytherea ridens;
Aſtat Deorum Turba faventium,
Et dulcè plaudens Pieridum Chorus,
Agnoſcit & Tellus benignum
Fertilior propiuſque Numen:

Sic

Sic viſa nobis Carbaſa REGIA
Secare fauſtam per Thameſin Viam,
Arcana cùm Rerum revolvens
Sic cecinit mala Fata Nereus,
O Navis, Anglûm quæ tibi creditam
Debes Salutem, quæ vehis Albion,
(Proh Curiam orbandamque Gentem)
Alite jam volitas ſiniſtro.
Ut, ut triumphas Hoſpite REGIO
Jactaſque Belli Pacis & Arbitrum,
Utcunque Neptuno favente
Per dubios Aquilone Fluctus
Secura tendas; Illachrymabilis
Mors aſſequetur limina GEORGIUM
Vix vix ſalutantem propinqua
HANNOVERUM, Patriumque Cælum.
Olim Inſtitutum ſcilicet Arbitris
Parcis, ut illic exueret cadens
Laurus Triumphales, Decuſque,
Unde Oriens Jubar Auſpicatus.
Sic deſtinatum conciliantibus
Divis, ut inter Sidera fulgeat
Cum Bello adæquârit WILHELMUM,
Et Studio quoque Pacis ANNAM.

Ad REGEM.

DILECTE Princeps, Sceptra Britanniæ
Capeſſe, multis Nominibus TUA,
Natura quem ac Uſus gerendis
Rebus, & Imperio parârunt.
Tu ſive Bello Martius Intones,
Pacemve velles, non ſine Numine
Ubique vinces, Audieſque
Compoſiti Moderator Orbis.
Jamdudum IBERUM pœnitet Impetus
Inauſpicati, territus abjicit
Iramque, quæ procudit Arma
Immeritis inimica Regnis.
Tu, ſicut alter NASSOVIUS, foras
Colêre Victor Nobilis, & Domi

Inſtar MARIÆ, Dulciore
Cuncta reget CAROLINA Vultu.
O quàm MARIA Prole Beatior.
Idæa qualis Mater amabiles
Complexa centenos Nepotes
Cælicolas, totidemque Divas.
Quod Parca Vulnus flebiliter dedit
Gens tot futuris Pignoribus potens
Non ſentit ultrà, quin ab ipſo
Ducit Opes Animumque Fato.
Solem cadentem ſic ubi viderat
Novellus Orbis, Munus amabile
Ploravit extinxtum, Vetuſtum &
Contremuit Chaos & Ruinam,
At Mœror Ingens & Tenebræ ſimul
Ceſſêre, cum Lux poſtera Fulgidum
Reduxit Hæredem, atque Damnum
Splendidior Radius redemit.

Rich. Arnald, Coll. Eman. Soc.

GRANTA, quibus Lacrymis tantum plorare Patronum
Fas Tibi? Quis Luctus Te decet, Alma Parens?
Amiſit, lugete Patres, lugete Juventus,
Amiſit Phœbum Turba novena ſuum.
Non Mæcenati tantum Tua Carmina, Flacce,
Debent; Auguſto nec Tua ſcripta, Maro;
Quantùm noſtra ſuo nunc debet Granta Patrono,
Qui Muſis Libros Ingeniumque dedit.
Qui dixit primâ, qui dixit Voce ſupremâ,
" Granta ſub Auſpiciis floreat uſque meis.
Floruit —— At GEORGÎ canimus nunc funebre Carmen;
Vis noſtra in Lacrymas ſcilicet omnis abit.
Charus eras nobis, in charas ſemper Athenas
Fuſa Tua eſt, GEORGI, Gratia prona Tuas.
Dum Camus currat, dum docta Volumina *Mori*
Verſentur, maneat Nomen Honorque Tuus!
Dumque novas Linguas diſcat generoſa Juventus,
GEORGIACAS Laudes ſingula Lingua canat.

Porter Thompſon, Coll. SS. Trin.Soc. Commenſalis.

QUID

LUCTUS ET GAUDIA.

QUID lachrymæ gemituſque juvant? quid inania Magno
Vota Deo facimus? precibus non flectitur ullis
Certa manus necis; at ſiquid ſuſpiria poſſent
Mortales ſævis ſubducere legibus Orci,
Fletibus Anglorum ſubductus GEORGIUS eſſet.
Sed tamen, heu! noſtri juſtiſſima gloria Secli
Occidit Ille bonus Britonum Rex, occidit Ille,
Stemmate Materno fœlix, virtute Paternâ,
Anglorum Tutela, Europæque arbiter ingens;
Qui Britonum Nomen latè terrâque marique
Sparſit, & edocuit gentes nil poſſe minores,
Et verbo hoſtiles juſſit diſcedere turmas.
Illi militiam attoniti ſine clade relinquunt,
Compoſitiſque armis Regem venerantur Amici
Intrepidum bello, ſed ſolâ morte ſubactum.
At Rex morte ſuâ portu meliore potitus
Vivet in æternum; & (ſiquid pia carmina poſſint)
Tota prius moles Mundi & compago laboret,
Quàm pereat GEORGÎ magnum & venerabile Nomen.
Sed quò Muſa rapis? Regem revocare peremptum
Non opis eſt noſtræ; motos componere luctus
GEORGIUS alter adeſt, Patrem qui paſſibus æquis
Inſequitur, Pacemque parat ſtabilire paterno
Inceptam Auſpicio, & gentes ſociare rebelles.
Principe ſub tanto quid non ſperemus? Iberum
Jam video domitum, & poſt ſaxa remota latentem.
Fallor? an & trepidos demiſſo Teutonas ore,
Angliacumque avidos ambire in fœdera Regem
Germanos video, auſpiciiſque coire Britannis?
Ecce! etiam audaces Belgæ ſocia arma ferentes
Concurrunt, facileſque Dani, rigidique Süeci,
Et confirmato Galli benè fœdere juncti.
At noſtræ interea gentis mala corda, animique
Seditione truces, & in Arma nefanda parati
Fruſtra exoptabunt Papam, reducemque Jacobum.
Fruſtra miſcebunt urbes & mobile vulgus
Ad miſera incendent turpi certamine bella.
Nam Tua jam fecit Te dilectiſſima Conjux,
Illuſtris GEORGI, numeroſa prole beatum;
Quæ ſalvos tueatur in omnia Secla Britannos.

Joh. Bernard, A. M. Coll. S. Joh. Soc.

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ ΘΡΗΝΟΘΡΙΑΜΒΙΚΟΝ.

ΠΑΛΑΙΜΩΝ, ΔΑΜΟΙΤΑΣ, ΘΥΡΣΙΣ.

Τὸν ποτὲ Δαμοίταν ϗ Θύρσιν ὀπάονας εὑρὼν
Ἄμφω ἀμείβεσθαι δεδαημένω, ἄμφω ἀείδειν,
Πρὸς χῶρον δρυμοῖσιν ἐπίσκιον ἦλθε Παλαίμων·
Αὐτίκα δ' ἐπ' παμφύοις κέρας ἐπέεσι πεφυπύδα.——

ΠΑΛ. Ὧδε, Νέοι, θερμῶν ἀπάνευθ' Ὑπερίονος αὐγῶν
Πυκναὶ ξυὼ μελίης τείνασι σκεπάσματα φηγοί·
Ἡδὺ δὲ γόγγυζον πρᾴως παραλείβεται ὕδωρ·
Ὧδε κατὰ χλωρὸν ποίην, ἴτε, σῶμα κεκμηκὸς
Ἡδυλόγην κελαδεῖτε καταικλίνοντες ἀοιδήν·
Ἡδύλογον κελαδεῖτε μέλος τῷ τεθνειῶτι
Ἀλκιόνων ΒΑΣΙΛΕΩΣ τε, ϗ ΥΙΟΥ λειπομένοιο.
Ἄρχετε δὴ μολπῆσιν ἀμοιβαίοισιν ἐείζειν,
Ἄρχετ', ἀμοιβαίῳ Μοῦσαι φιλέουσιν ἀοιδῇ.
Τοίοισι περσέειπε Νέας ἐπέεσι Παλαίμων·
Οἱ δ' ἐπιπειθόμενοι φίλα μύθοισιν ἑταίρου
Παυσόμενον σκιεροῖς ὑπὸ δένδρεσι σῶμα πίθησαν.
Δαμοίτας δ' ἑξαῦτις ἐπήρξατο πρῶτος ἀείδειν——

ΔΑΜ. Οὐκέτι χαιρέσεις ἀπ' ἐμοῦ ἐσακούσετε φωνῆς,
Οὔρεα ϗ δρυμοὶ, λυσιπαίσμονος οὐκέτι πλήκτρου·
Οὐκέτ' ὀπηδεύει λιγύφωνος ἔμοιγε Θάλεια·
Τέρψις ἐκὰς ἀπέφευγεν· ἀναιδὴς ἔκλυσε δίνη
Τὸν Μούσης φίλον Ἄνδρα, τὸν ὐ Χαρίτεσσιν ἀπεχθῆ.
Θρηνώδεων ἔξαρχε μέλων, ἄγε, Μοῦσα· θανόντος
Αἰάζω ΒΑΣΙΛΗΟΣ, ἐπαιάζοιτε Βρέτανοι.
Οἷα Πίτυς θαλεροῖσιν ὑπερβάλλετ' ἐνὶ κήποις·
Οἷα δ' ἐν ὑψηλῆς Μελίη ὑπεραίρεται ὕλης·
Τόσσον ὑπερλάμπεσκε ΓΕΩΡΓΙΟΣ ἐν Βερτόνεσσι
Παντοίης ἀρέτῃσιν ὑπὲρ πρητέρων Βασιλήων·
Τοιοῦτος μὲν ἔην, (ὡς νῦν ὄφελές γε ϗ εἶναι)
Τοιοῦτον δ' ἄρ' ἐόντα δυσήνιος ἔλλαβε μοῖρα.
Ἀμφηχοῖ ἔγκοιλα "ΓΕΩΡΓΙΟΣ ὄλλυται" ἤχει·
Φύλλα, λύπης σημεῖον, ὀρεινοὶ ἀπέχθυτε δρυμοὶ·
Ἄνθεα σαθρωθέντα πεφυσιδίζοιτε κάρηνα·
Ἄλγος δ' οἱ ποτάμοι παρέχοιτ' ὀκνηρὰ ῥέοντες.

Θρηνώ-

Θρηνώδεων ἔξαρχε μέλων, ἄγε, Μῶσα· θανόντος
Αἰάζω ΒΑΣΙΛΗΟΣ, ἐπαιάζοιτε Βρέτανvοι.
Φοῖβε, κατάκρυψον ἀχέων νεφέλῃσι πρόσωπον·
Ἄστροις σὺν πενθῶσιν ὑπὸ χθόνα δῦθι Σελήνη·
Νὺξ ἐπιγιγνέσθω πολυώδυνος· ἀμφὶ δὲ γαῖη
Ἀενάοις ἀχλῦσι περιβληθεῖσα σεβάζοι.
Κλαυθμώδη θαμιναὶ χείτωσαν ἀηδόνες ὄμφην·
Κλαυθμώδη δὲ λυπεῖσα βοὴν ἀναπεμπέτω Ἠχώ.
Εὐγνώστης ποταμὸς βαρύφωνοι λείπετε κύκνοι,
Κάδδ' ἐπιχηδείῳ ποιεῖτε θανέμφυοι αὐδήν.
Θρηνώδεων ἔξαρχε μέλων, ἄγε, Μῶσα· θανόντος
Αἰάζω ΒΑΣΙΛΗΟΣ, ἐπαιάζοιτε Βρέτανvοι.
Δαμοίτας μὲν τοῖον ἀεισάμενος ἀπέλειπεν.
Εἶτα δ' ἀμοιβαίην ὑπελάμβανε Θύρσις ἀοιδήν—
ΘΥΡ. Χαίροις, ὦ κύδιστε ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΥΙΕ Ἄναλλος,
ΥΙΕ Ἄναξ, Μεγάλοιο ἀρειότερος Γενετῆος·
Οὔποτε ΣΕΙΟ κλέος ἐπλήσομαι, ἀλλὰ σεθύμως
Ἀείσω πρῶτόν τε, καὶ ὕστατον, ἔν τε μέσοισι.
Λήγετε θρηνώδεων Μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδῶν.
Μηκέτ' ΕΔΟΥΑΡΔΟΥΣ κλαίοι, ΚΑΡΟΛΟΥΣ τε θανόντας,
Μηκέτι δ' ΕΝΡΙΚΟΥΣ, καὶ ἀγακλειτὸν ΓΥΛΙΕΛΜΟΝ,
Μηκέτ' ἀγαυότερον δὲ ΓΕΩΡΓΙΟΝ αἶα Βρετάννη·
Καὶ γὰρ ΕΔΟΥΑΡΔΩΝ ἀρέται, ΚΑΡΟΛΩΝ τ' ἐρικύδεων,
ΕΝΡΙΚΩΝ, ΓΥΛΙΕΛΜΟΥ, ἰδ' ἐνδόξου Γενετῆος
Φαίνονται ἐν ΣΟΙ γε ΓΕΩΡΓΙΟΥ ἄγλαος ΥΙΟΣ.
Ἄρχελε χαρμόφρονος, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδῆς.
Ἀλβιόνων, ἄγε, κοῦροι ἐρισθενὲς εἴπατ' ἔπαινον,
Εἴπατε τῷ ΒΑΣΙΛΗΙ πολυφθόγγοισιν ἐν ὠδῇς·
Νικᾶτ' Οὐργίλιον, νικᾶτ' ἄδοντες Ὅμηρον,
Οὐδ' ἄλις ἀσόμφοι· ἀναρίθμητός γε μὲν ἄμμος.
Ἄρχετε χαρμόφρονος, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδῆς.
Πᾶσα πολυχρονίῳ πληροίη καρδία τέρψει·
Κτήνη ἐν ἡδυγέλωσιν ἀγαλλιάσασθε νομῆσιν·
Αὐτόματοι σκιρτᾶτε δρυὲς, σκιρτᾶτε ὄρεσφι βυνοὶ
Μείζονι γηθοσύνῃ, ἢ ὅταν θαμινῆς ἅμα πέτρης
Θρηικίῃ ἅπλοκλι λύρῃ ἐφέπεσθε μελῳδῷ.
Ἄρχετε χαρμόφρονος, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδῆς.
Μηκέτι τερπνοτάτην αἴη θαύμαζε Βρετάννη

Ἀρχαίᾳ βασιλείαν ἐπιφθονέουσα Κρόνοιο·
Νῦν ὄντως ἄερα σοὶ χρύσειον ἐπήλυθεν αἰών.
Ἄρχετε χαρμόφρονος, Μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδῆς·
Ἄμμι νεοκτίτῳ σιλβηδόνι πάντα γελῶσιν·
Οὐδὲ μὴν ἦν πᾶσιν φάος ἔθνεσι Φοῖβος ἀφαιρῇ,
Ἦν δὲ Σελιναίη τε καὶ ἀστέρες· οὐδὲ μὴν ὅτως
Ἡμέτερον παύσειε φόως· ἴδιός γε Βρετάννῃ
Ἀσπασίως τείλλισε ἐπήλυθε Φωσφόρος αἰή.
Χαίροις, ὦ κύδισε ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΥΙΕ Ἄναξ,
ΥΙΕ Ἄναξ, Μεγάλοιο ἀρειότερος Γενετῆος·
Οὔποτε ΣΕΙΟ κλέος ἐπιλήσομαι, ἀλλὰ σὺ θυμῷ
Ἀείσω πρῶτόν τε, καὶ ὕστατον, ἔν τε μέσοισιν.
Ὡς μὲν Δαμοίταν Θύρσις μὴν ἔλιγε μελῳδῶν.
Τῶν δ' ἄρ' ἀειναμφίων ὅτως διέκεινε Παλαίμων——
ΠΑΛ. Κῆρυξ, ἐπισήμη μεγάλη, ἠδεῖα δὲ μοῦσα
Ἀμφοτέρων· σὺ γ', Θύρσι, πολὺ νίκησας ἀείδων,
Οὔδὲ τόσον νίκησας, ὅσῳ θέμα φέρτερον εὗρες.

Rich. Dawes, Coll. Emman. Alumnus.

Ad REGEM.

ABREPTUM quamvis inopino funere Regem
Plorat inexpleto perculsa Britannia luctu;
Usque licèt studio charum caput Illa fideli
Prosequitur memorique tuetur pectore famam:
At sceptra exultans Tibi fert, Auguste, Tuique
Auspiciis sumit felicibus omina regni.
Scilicet imperiis magni reverentia Patris
Te dudum aptavit, doctus regnare fuisti
Parendo, & Regis didicisti subditus artes.
Tum Tua cunctorum facilis clementia gratos
Devinxitque animos tenuitque lubentia corda.
Tum non ulla dies, quando super ardua rerum
Consulerent Proceres, Te vidit abesse Senatu:
Nulla dies elapsa Tui non plena laboris;
Publica dum tacitis agitare negotia curis
Suetus eras, regnum & moliri mente futurum,
Et studia Angliacis impendere moribus, & quas
Defensurus eras, Fidei cognoscere leges.

Ergo

LUCTUS ET GAUDIA.

Ergo Tui illuſtrem faciem ſe pandere rerum,
Lætitiamque, decusque ingens, placidéque fluentes
Annorum ſeries, atque aurea tempora cernunt.
Ergo Tui laudes regni haud ſuperârit Eliſæ
Fama, nec Auriaci immortalia geſta WILHELMI;
Non ANNA egregiis belli pacisque triumphis
Inclyta, pacativè GEORGIUS arbiter Orbis.

Tho. Fitzgerald, A. M. Trin. Coll. Soc.

Umbra Defuncti Regis & *Genius* Britanniæ.

Umbra. QUID præter ſolitum, Dive, Britannicæ
Gentis Præſidium, Triſtitiam foves,
Solus Nocte ſilenti
Regum inter Tumulos ſedens?
Noſtri ne doleas plus nimio memor,
Quem Lethi rapuit dura Neceſſitas;
En! hìc Pulvis & Umbra
Ingens NASSOVIUS jacet!

Genius. O! & Deliciæ & dulce Decus Mihi,
Neſcit ſuave pati Conſilium Dolor;
Et Torrente ſequaci
Raptìm Lachrymulæ fluunt;
Duris Angligenæ dum Querimoniis
Unum Me feriunt; Meque minaciter
Vitam Regis adempti
Poſcunt non ita creditam.

Umbra. Dextras quin Moriens diſſociabiles,
Et blandis Populos Conditionibus
Strinxi Pacis, Utrumque
Quà Sol Oceanum videt:
Majeſtaſque Meæ ſacra Britanniæ
Subjectum Ratibus pervolitat Mare:
Et per Corda Suorum
Hæres regnat amabilis.

Genius. Hic Deſiderium, Curaque non levis
Princeps uſque Mihi; Sedulus aureos
Mores Arte Magiſtrâ
Formavi ſimiles Tuis.
Mecum ſæpe Nemus per tacitum ambulat,
Multâ Me vehemens proſequitur Prece;

Ardens ſcire Britannam
Quis Gentem deceat Status.
Umbra. I nunc, ingenui Pectoris Incola,
Natum flecte tuis Conſiliis potens;
Et charum FREDERICUM
Artes Imperii doce.
Me Tecum ulterius Fata vetant loqui,
Heroumque vocat non humilis Chorus;
Perfunctumque Labore
Sceptri, longa manet Quies.

Tho. Hayter, A. M. Coll. Eman.

QUALIS ſe pandit formoſa Coloribus Iris;
Quaſque refert, Phœbo ſplendida debet opes.
Decedente Deo, paulatim evanida languet;
Et tota in Pluvias mox reſoluta cadit.
Talis felicem læta induit Anglia Vultum;
Et pleno effulſit Lumine Gentis Honos.
Talis in Occaſu GEORGÎ obſcurata Tenebris
Mœret, & in Lacrymas cogitur ire novas.
Nimirùm occubuit, potuit quà occumbere, Cælum
Qui viſus meritis aſſeruiſſe ſuis.

Muſa tuos Luctus communi adjunge Dolori,
Et Terræ Angliacæ publica Damna refer.
Heu! madidis alis Pax Caſum plorat Amici:
Libertas Comitem deflet abeſſe ſuum.
Immodico extinctum Regem dolet Anglia Luctu;
Inque alias Terras ſpargitur iſte Dolor.
Europæ Dominum fecit ſua Cura; Quietem
Ut daret Europæ, non dedit Ipſe Sibi.
Sed maturus obît: Haud Gentis Fama Britannæ,
Altiùs haud potuit ſurgere Fama Viri.
Haud ultrà Populi poſſent ſe extendere Vota;
Nî, Bona Qui dederat, poſſet ut Ipſe frui.

Tuque O præcipuo Granta inſignita Favore,
Tu Quæ perpetuum Pignus Amoris habes;
Solve tuos Fructus: Tibi Qui nova Semina ſparſit
Doctrinæ, Huic Laudum ſurgat opima Seges.

Nec

Nec modò in Angliacis Seges illa repullulet Arvis;
Lingua Virum in tantum non ſatis una patet.
Qui dederit Linguas omnes ediſcere; Linguis
Omnibus Hic dignus, Qui celebretur, erit.
Qualis in Hoſte fuit Quantuſque Hiſpanica dicet;
Gallica, ſub Pacis Fœdere Qualis erat.
Itala mentitum Regem Romamque docebit
Ut Sceptrum, ut fixit Relligionis Opus.
Belgica Victorem; Magnum canet Anglica Regem:
Officium faciet ſingula Lingua ſuum.

Quantus Quantus erat, Fatis jam ceſſit iniquis;
Dignus, Qui Imperio Fata vel ipſa regat.
Hoc tamen extincto ſimilis non deficit Alter;
Et notis Radiis Terra Britanna nitet.
Vivit adhùc in Prole Parens: Quid denique mirum?
Ut Phœnix alter ſurgeret, alter obît.
Illum etiam ad Laudem accendit par Gloria; & Ille
Conſiliis paribus, Queîs Pater ante, regit.
Facta utrumque probent ſimiles; Populuſque futurus
Audito GEORGÎ Nomine dicat, UTER.

Gul. Hall, Coll. Regal. Alumn.

PARCITE, crudeles, nec fila reſolvite, Divæ;
Plurima ſic vobis victima nigra cadat:
Parcite, ſi laudes meritus ſit GEORGIUS ullas;
Ne charum tentet nox tenebroſa virum.
Et certe eſt meritus: ſit teſtis ſalva Vienna,
Auſpiciis, GEORGI, ſalva Vienna tuis:
Vos, virides Nymphæ, quæ Rheni fluminis undas
Mulcetis lætæ cantibus & choreis,
Corporibus ripas ſparſas vidiſtis & armis;
Et rubris voſmet ſuppoſuiſtis aquis.
Talis erat bello; ſic ſævus fulmina torſit,
Torſit, & extemplo funera mille volant.
O ego quid dixi? meritis non tangitur Orcus,
Nec Stygias poſſunt flectere vota Deas:
Non; ſi plectra movens citharam pulſaret Apollo,
Et citharæ Muſæ dulcia verba darent.
Ipſe lubens morerer, ſi quid mea funera poſſent:
In me, mors, rabiem pallida verte tuam;

Pulcrum erit; & noſtrum hoc noſcetur carmine marmor,
Cui vitam debet GEORGIUS, hic ſitus eſt.
Hæc cecini infelix; ſtratuſque ſub arbore queſtu
Augebam murmur prætereuntis aquæ;
Et te, Somne pater, clementem ſæpe vocavi;
Leni, Somne, tuo vulnera noſtra ſinu.
Somnus adeſt; triſti nec cedunt pectore curæ:
Quin ſtetit ante oculos Cynthius ipſe meos:
Flammea lux humeros (memini), lux tempora cinxit,
Atque inter laurus luſit odora comas.
Talis erat, molli quum te, cultiſſime, verſu
Perdocuit verus dura, Tibulle, pati:
Talis, quum tenues vatem deduxit in hortos,
A cujus numeris Umbria nomen habet.
Tum vero ardenti tangens mea labra ſagitta
Cæleſti tales reddidit ore ſonos.
Surge, miſer, Phœbumque exaudi vera canentem,
Et ſupplex votis Numina noſtra cole.
Quem tu, mœſte, rudi ſed grato carmine luges,
Anglia funereis quem ſequitur tunicis,
GEORGIUS, ah! veſtræ, dum vixit, gloria terræ,
GEORGIUS emeritum nunc tenet Elyſium:
Pacem Ille & Charites & Muſas ſemper amavit;
Nunc iſtæ ſocium candida turba fovent.
Fortunate Senex, Te gaudia quanta ſubibunt,
Quum Nati aſpicies maxima facta Tui.
Ille Tuæ recolens laudis veſtigia certo
Diſcordes animos fœdere conciliat;
Fœdere conciliat certo; frugeſque benigna
Et florum gemmas ſpargit ubique manu:
Et mox jura dabit, populiſque imponet habenas,
Quo mea cunque loco lucida tela volant.
Surge; vocant horæ: Vos autem creſcite, lauri;
Serta Tuis, GEORGI, nectit Apollo comis.

Tho. Hull, A. B. Coll. Jeſ.

DUM

LUCTUS ET GAUDIA.

Dum Mœsta luctu solvitur Britannia,
Regemque non ita creditum, heu! frustrà pia,
Deos reposcit: Dum Salutis unicum
Attonitus Orbis plorat Arbitrum suæ:
Cessas, Camœna, GEORGII nomen sacrum
Iterare fletu, Regiâ Qui Te manu
Ditavit Almus immerentem; Qui novo
Scientiarum Te rigavit Flumine?
Lugubre carmen præcipe, & quantum potes
Refer Parenti munus ultimum Tuo.
Ergo Ille tandem, vita qui Patriæ fuit,
Necessitate Mortis Oppressus jacet?
Oculosque, quos Salus vetabat Publica
Dormire, jam perpetuus urgebit Sopor?
Heu Dextra Bello invicta! Proh Fides vetus!
Probitasque vera! Quid moramur ampliùs
Carpere supremum, mœsta Civitas, iter,
Comites parati? furva quid Stygis horridæ
Implere fletu regna, si jussa improba
Scirent Sororum forsitan recludere
Preces, Piisque cederent votis Dei?
At nec revehere novit illachrymabilis
Satelles Orci, quos in exilium semel
Cymbâ coegit horridâ, nec, vinculis
Mortalitatis liber, Ipse, carcerem,
Notumque velles corporis pondus pati.
Non Te minacis abstulit Proserpinæ
Maturior vis: Heu! licet nobis parum,
Sat Tibi, Tuæque vixeras Famæ satis.
Quid enim, subactâ Cantabrûm superbiâ,
Æquisque Genti Legibus Scythicæ datis,
Amplius agendum restitit? voluit benè
Opima, majus, anima, cum potuit nihil,
Abire, scilicet suo sat idonea
Cælo, Deûmque facta jam consortio.
Absint inanes næniæ, fugiant procul
Tristes querelæ: Vivis Heros integer,
Vivis, labore quem petebas arduo,
Felicitatis occupans portum tuæ.
Jam Tu, Deorum inter quietos ordines,
Perenne Nectar ore purpureo bibis.

Inſuetum Olympi candidus limen vides,
Nubeſque, & aſtra lucidùm micantia,
Dum ſidus Ipſe clariùs novum micas.
Hìc jam, Tyrannis nomen inviſum, Cato,
Hìc Brutus, Urbis liberæ vindex, Tibi
Servata quam paravit olim Patria,
Cingunt coronâ civicâ ſacrum caput,
Lætique Magnum gratulantur Advenam.
En quo WILHELMUS, additum cælo Decus,
Inter Britannos Principes ſimiles Tui,
Plus poſſe juſtis qui negabant legibus,
Memoreſque nos merendo fecerunt, Tibi
Sedem paravit: Unde amico ſidere
Terras jacentes, Ipſe quas ſervaverat,
Suique Te Laboris amplum Præmium
Solitus tueri: Hic Ille dexterâ indice,
Per Te potentes Orbis Ultimi, Tuos
Monſtrat Britannos. Quanta Tu, Rex optime,
Quanta Ille ſentit gaudia? En facies Tibi
Quam læta Rerum ſurgit! En axe aureo
Referens amatum nomen Occidui Patris,
Tenebris fugatis, riſit alter GEORGIUS,
Pollicitus aſtrum lucis æmulum Tuæ.
Hic Vir, ruentis Imperî ſolus potens
Fulcire Molem: Hic Ille, rursùs integræ
Qui Pacis Aurea pandit Orbi ſecula,
Auguſtus. Horridum, Ipſa jam Diſcordia
Civilis, atrâ nubilans umbrâ caput,
Fovere tandem ſpes inanes deſinit:
CAROLINA, dum Tu prole Divûm nobilis,
Præbes FREDRICOS Poſteris felicibus,
Similes Utrique, Magna Mater, GEORGIO.

Gul. Battie, A. B. Coll. Regal. Soc.
Unus è Modern. Hiſt. Scholar. Regiis.

EPITA-

EPITAPHIUM.

HIC ſiti Jacent Cineres Principis Optimi & Maximi,
Ut qui reverà iſtos Titulos ſibi ſuo Jure vendicaret,
Quos Literata Vetuſtas in ſua Numina & Heroas Cumulare
Ambitiosè Certavit.
Regnantem in Germaniâ Summâ cum Gloriâ
Ad Imperium ſuum Conſervandum Accivit Britannia,
Neque Reputavit in Cujuſquam Clientelam potiùs Committi poſſe
Legibus Definitam & Aſtrictam Rempublicam, quàm Divi Hominis,
Qui ita Juſtitiam Sponte ſuâ Excoluit, ut Leges ipſæ Inutiles,
Ita Miſericordiam, ut nimis Crudeles eſſe Viderentur.
Regnantem in Angliâ Germania ſua viciſſim Petiit & Efflagitavit,
Et Quem Lachrymis Univerſæ Gentis priùs Dimiſerunt,
Infinito ſemper Plauſu, cùm ſuos Inviſere fuerit Dignatus,
Quaſi Præſentem Quempiam Deum, Salutabant.
Ea nempe erat Summa Poteſtas cum Animi Magnitudine Conjuncta,
Ut, cùm Illam Neglexerit, Hanc Anteferret, Effecit,
Ut Iſtam, quam Omnes ſoleant Reformidare, Omnes Admirarentur,
Hanc, quam Cuncti ſoleant Admirari, Cuncti etiam Diligerent.
Nulla porrò Gens vel Natio Extitit,
Quæ non GEORGÎ Perſonabat & Venerabatur Nomen,
Nulla, niſi ob Immanitatem Celebris & Feritiem,
Quæ Ipſius Amicitiam, ob Æquitatem, Abſtinentiam,
Atque Omnem ferè Virtutem, quâ Præcelluit, non Expetivit.
Eccleſiam verè Chriſtianam, atque adeò noſtram Anglicanam,
Apprimè habuit in Deliciis; Multiſque Muneribus Condecoravit;
Non ita Tamen, ut non Eorum Infirmitati & Conſcientiæ,
Qui ab Eâ Diſſentirent, pro Clementiâ ſuâ velit Indulgere;
Quo autem Animo Uſus eſt versùs ſuas præſertim Academias,
Immenſa pœnè ejus erga illas Munificentia abundè Teſtatur.
Jura Libertateſque Populi Britannici omni Modo Fovit,
Neque Unquam de Re Quâpiam Sententiam Tulit,
Niſi priùs ſciſcitatus eſſet de Juris-Peritis, an Quod Moliatur,
Legibus foret Conſentaneum.
Cum Exorta eſt Magna quidem Partium in Europâ Contentio,
Ad eas, ſcilicet HANNOVERIANAS, ſe Applicuit,
Quibus Quiſque, pro Innatâ ſua Animi Manſuetudine, ſua Poſſideret.
Mortuus eſt Princeps Celeberrimus Britanniam inter & Germaniam ſuam;
Nam, Quem Utraque Gens Vivum Deſiderârat,
Nefas erat, ut Utravis Poſſideret Morientem.

Gratulatio ad GEORGIUM *Regem Præcellentiſſimum & Optimum.*

DUM Muſa Exequias Perſolvit Mœſta Parentis,
Et Gemitu Indulgens Fletibus Ora Rigat;
Dum Lachrymâ Cineres Spargit, Triſteſque Corollas
Pro Sertis Aliis Officioſa Parat;
Ne Reputes pertentaſſe Huic non Gaudia Mentem,
Inverſo Pingit dum Tua Regna ſtylo;
Ut Solem Plebs Nocte Excuſsâ, aut Parthus Adorans,
Sic Læti Aſpicimus Numen Adeſſe Tuum;
Diffugiunt Tenebræ, vana & ſimulachra Recedunt,
Cùm Divâ Illuſtras Lampade Cuncta Tuâ;
Tu Decus Omne Tuis, nec Dedignêre Metallo
Naſcentes Rutilo jam Renovare Dies;
A Te Ducatur ſæclorum Nobilis Ordo,
Et Repetant Primas Sydera Quæque Vias;
Comprimat Errores jam Cynthia in Orbe Refulgens,
Ac ſanâ Gyros Diſcat Inire Rotâ;
Muſa Duces Ævo huic Præſtat, cùm Regia Proles
Circuitus Illos, Hos CAROLINA Regat;
O, ſi Muſa velit, quàm veſtras Dicere Laudes
Ardeo, ſacrâ Hederâ & vos Redimire Comas!
At Vetat Ingenium, & Circum Præcordia Sanguis
Frigida, Quæ, Linquam Grandia ut Illa, Monent;
Me Rapiunt Rerum Cauſæ, & Penetralia Rerum,
Deciſis Pennis undique, Muſa ſilet.

A *Roberto Greene*, A. M.
Aulæ Clar. Soc. ac Præſide.

Ad BRITANNIAM.

MAGNI inopina Patris quid Fata, *Britannia*, luges?
Filius optatus ſpesque Salusque Tibi eſt.
GEORGIUS Annorum & Famæ plenus ſibi vixit:
Omnia tuta manent; GEORGIUS alter adeſt.

Cheſter Pern, A. M. Aulæ Cath.

OI'MΩ-

Οἴμωζετ', ὦ Βρεταννοὶ,
Θρηνεῖτε πολλὰ, Μοῖσαι·
Ὄλωλ' ἄναξ Βρεταννῶν,
Ὑμῶν ἄναξ ὄλωλε·
Θρηνητέα μὲν ἀμφοῖν
Ἄναξ ὄλωλε Διὸς,
Ὄλωλε καὶ τέθνηκε,
Τὶς εἶπε, τὰν ἀδελφὰν
Κοιμωμέναν παρ' ὄχθαις
Ἀγνορρύτα Καμοῖο,
Στυγνὰν ἔχοισα χαίταν,
Ὠχράν τε τλιὰ παρειὰν.
Τᾷ δ' ἦν ἀμείβετ' ἄλλη
Ἡδυθεόων ἀδελφάν,
Τὶ φῆς; ὄλωλ' ἀγαύων
Δικαιπόλα Βρεταννῶν;
Οὐκ· ἀλλὰ πρὸς μέλαθρον
Ὀλυμπίω Τυράννω
Διοτρεφὴς βέβηκε·
Βέβηκε μέν τοι ἔτα,
Ἄλλος ὃ κ' οὐχὶ χείρων
ΓΕΩΡΓΙΟΣ πάρεστι
Σὺν ταῖς τύχαις ὁμοίαις
Βρεταννίαν διοικῶν.
Ἄναξ ὅτ' ἐς μέλαθρον
Χρυσᾶν ἔλαυνε Δίφρον
Δι' ἀγλαὰς ἀγυιὰς,
Ἱλαρὸν γέγηθεν ἄστυ·
Βοαὶς θεικλύταις τε
Ἀγαλλιῶντες ὄχλοι
Ἄνακτα προσδέχονται.
Βοαὶ τὰ δῶρα πλήθυς·
Τί ἦν δίδωσι Μοῖσαι;
Βόας μέτρῳ δεθείσας
Σοφωτέρων ἀοίδων.

Ad REGEM.

OPTIME virtutiſqne hæres ſceptrique paterni,
Magne Heros, felix gentis amore Tuæ,

Conjuge, quam pietas ſumma & decor æmulus ornat,
Prole, in ſpem noſtram quæ generoſa viret.

Pro Te ultra faciles quid reſtat poſcere Divos,
Tot donis longum Te niſi poſſe frui?

Gerv. Holmes, A. M. Coll. Emman. Soc.

DUM, Te, GEORGI, nuper orbis Arbitrum
Pullata plorat Anglia,
Dum Manibus tributa ſolvit ultima
Honore lugubri Tuis.
Liceat Camænis incolis Cami, Tuo
Auctis favore inſigniter
Adire pompam funebrem, & munuſculis
Ornare buſtum debitis;
Liceat perenni conſecrare poſteris
Honore nomen ſæculis.
Hic Te benigno, Granta, mater artium
Fœcunda, fovit Numine;
Hic inſerens arvis Tuis recentium
Scientiarum ſemina,
Almiſque blandus imbribus rigans, dedit
Novis virere fructibus.
Scandit Juventus arduum Pindi jugum
Dicata Muſis acrius,
Minuſque tardo quærit abditos pede
Scientiarum rivulos.
Felicitatis Te fatemur Unicum
(Illuſtre Principum decus)
Hujuſce Nobis Auſpicem: Quod Angliam
Pax reſtituta nunc beat,
Quod nuper inſolens Iberus e ſuis
Timet vagari finibus,
Quod Urbium ſub axe frigido ferox
Miteſcit incola, & metus

Inuſi-

LUCTUS ET GAUDIA.

Inuſitatos concipit Britanniæ,
  Id omne muneris tui.
Hâc arte nixus inter aſtra Heroibus
  Dignus ſodalis emicas;
Sacroque cœtu jam receptus Cælitum
  (Queîs cura Principes pii)
De more ſceptro conſulis Britannico,
  Et rite cœpta proſperas.
O Quanta mox ad orbis oras, Anglia,
  Latè remotas audies,
Augere certat æmulis dum viribus
  Uterque Te GEORGIUS!
Certare ſic pergatis: Hæc honeſta lis,
  Hæc pulchra concertatio.
Eja, inſolenti jam triumpha gaudio
  Divûm domus, Britannia.
Ditata damnis fortior ſurgis tuis,
  Dupliceſque rami pullulant
Cadente ramo: lugubrem GEORGII
  Mortem rependunt, Anglici,
Tutela præſens imperî GEORGIUS
  Pietate & armis inclytus;
Et alma prole cincta pulchrâ Principum
  CAROLINA conſtanti fide;
Hæc Illa, ſponſum Roma cui fruſtra obtulit,
  Sortita jam parem Sibi:
Uterque felix: Ille tantam Conjugem
  Adeptus, Hæc tantum Virum.
Longùm beati hâc Inſulâ fruamini,
  Et Illa vobis invicem.

Johan. Burrough, Coll. Regal. Alumn.

DUM petit Hannoviam Rex GEORGIUS, Æquora tranans,
  Nuntius a Cælo venit, & ore refert.
Patria non Han'vera Tua eſt, non Anglica Tellus;
  Illa Tibi eſt alio repperienda loco.
Me ſequere, O Princeps, ſacros huc dirige Greſſus;
  Adducam quà Pax regnat, & Alma Quies.
Quà non Armorum Strepitus, nec Murmura Vulgi
  Audita, & quà nec Cura, nec Ira, vigent.

Quà Pietas Virtuſque habitant Rectumque Fideſque;
Quà Reges ponunt grande Onus Imperii.
Hæc Patria, Illa Domus; felices aſpice, GEORGI,
Sedes inter Avos annumerande Tuos.
Hic vivit GULIELMUS ovans, juxtáque MARIA
Aſſidet; has Sedes & Soror ANNA tenet.
GEORGIUS in Cælum rediit, dum GEORGIUS alter
Gaudet adhuc Terris, Sceptra Britanna gerens.
Quid flendum eſt ergo? Divûm cum Plauſibus intrat
Ille Domos, Plauſu hic totius Orbis ovat.
Cælicolæ interea dicunt, Tellure relictâ,
Deberi Cælo deſine, Magne Pater.
Nate, diu, exoptant dum Voce & Corde Britanni,
O detur Terris vivere, Nate, diu!

Phil. Aynſcombe, Coll. SS. Trin.
Soc. Commenſalis.

Ad REGEM.

NON ille multos qui ſine gloriâ
Exegit annos, Optime Principum,
Tardâque confectus ſenectâ
Ad tenues trepidavit umbras;
Sed qui decoro nobilis impetu
Nullum perîcli pro Patriâ genus
Non temſit, eluſitque mortem
Per medios animoſus hoſtes;
Qui lege juſtâ, qui populos jugo
Diſſentientes junxit amabili,
Genteſque communem in ſalutem
Fœdere perpetuo ligavit;
Ille invidendis plenus honoribus
Vixiſſe longùm dicitur & benè;
Et ſeu citatâ, ſive ſerâ
Mors ferit impavidum ruinâ.
Hâc arte cælo ſe bonus intulit,
Tutamen Anglorum, & Scotiæ Timor,
EDVARDUS; hâc cognata vidit
Auriacus GULIELMUS aſtra.

Hâc & merentem excepit in aurea
Ingens Olympus Limina GEORGIUM;
  Quem flemus, ereptumque ſemper
    Flebimus, officioſa Pubes.
Quanquam Ille & ævo grandis & inclytis
Maturus actis, nec nimiùm breves
  Vitæ querebatur labores,
    Nec vacuos ſine laude Faſtos:
Audax cruentos ſternere prælio
Hoſtes, & Idem Pacis amans bonæ;
  Lauroque collatâque olivâ
    Non ſine Diis redimitus Heros.
Senſere Turcæ Lunigeri, Ducis
Quid Marte poſſet vividus impetus;
  Matura ſenſerunt quid eſſet
    Mens animuſque ſagax Britanni;
Quâ nulla Gens certamine clarior,
Seu diſſipatas terrâ acies fugat,
  Seu claſſe molitur marinum
    Imperium ſine cæde victrix.
Hanc Tu, paterni nominis & ſimul
Sceptri altus Hæres, Gloriam & Anglicis
  Has rebus in ſera Imperator
    Tempora continuabis artes.
Tu, Gentium ſpes altera, qui Tuo
Procedis Orbi Sol novus, & dies
  Reducis optatos, perempto
    Patre, Salus & Amor ſuperſtes;
Tu, quæ parabat GEORGIUS, otia
Præſtabis Anglis; & ſtabilem foris
  Pacem redonabis, domique
    Compoſitis ſtudiis quietem.
Tu quicquid iræ ſeditionibus
Corda inquietis civica diſtrahit,
  Sanabis & dulcem protervis
    Inſinuare animis amorem
Perges colendus. Namque Tuos diu
Expertus Anglos diligis, & Tui
  Te diligunt, notumque laudant
    Ingenium, vigileſque curas;
Quas pro Britanno nomine ſuſtines,
Intacta vero ſollicitus Deo

Delubra conſervare, & æquâ
Imperium ſtabilire lege;
Quîs & colonis copiam, & æquora
Pacata nautis, & ſimul omnibus
Famamque fortunamque prudens
Et placidos meditaris annos.
Te fœderatis Gentibus arbitrum
Europa poſcit; Te Batavus colit,
Te Gallus, adjunctiſque Suecus
Et Danus adveneratur armis.
Te jura dantem perfidus audiet
Iſtrique Rhenique accola; Te ferox
Iberus, & fruſtrà remoto
Moſcus atrox metuendus orbe.
At nos decoris intereà modis
Perfuſi honeſto pectora gaudio,
Feſtâ reclinati ſub umbrâ
Teque Tuamque Domum canemus.
Dumque, alme GEORGI, quæ ſapientia,
Qui Candor, & quæ Te decoret Fides,
Miramur; & quîs læta fingat
Multiplicem CAROLINA Prolem,
Et formet ad Res moribus arduas;
Speramus omnes omnia proſpera,
Quæque hanc dederunt ſpem, libenter
Egregias imitamur Artes.

G. *Huſey*, A. M. Coll. D. Joh. Soc.

UMBRA Beata, fave, nec vatum turba putetur
Vix ſatis in Laudes officioſa Tuas.
Opprimit ora Dolor, neque longa ſilentia rumpit
Ægrius infuſo plena Sibylla Deo:
Nec mireris enim, tales cum Parca triumphos
Ducit, & in Reges hoc ſibi juris habet.

Qualis eras nuper, ſolio cum niſus Eburno
Auſpicium nobis grande Deosque dabas:
Haud meliora ſuo dictavit Nympha Marito
Egeria, haud melior Cæſar in Hoſte fuit.
Hinc, cùm majores extendit Iberia nido
Pennas, & rupto fœdere bella tulit:

Quàm

LUCTUS ET GAUDIA.

Quàm celer in pacem rediit tremefacta? furores
Quàm festinavit dedidicisse suos?

Quin Pietate Tuâ cum cedere Litibus Orbis,
Et ventis Odium tradere, jussus erat:
Ægida deposuit meditataque protinus Artes
Serviit Arbitrio tota Minerva Tuo.
Talis ubi præceps spirare valentiùs Eurus,
Miscerique imis stagna refusa vadis:
Si Vox increpitet Neptuniâ, detumet æquor,
Et trepidans Ventus non sua regna fugit.
Sed jam, cum radios nigro subduxeris Orbi,
Desperant reducem Regna Britanna Diem.
Abscisâ nec enim radice repullulat Arbor,
Nec Fonte occluso Rivulus Arva fovet.

At Novus exoritur vestigia Patris adorans
GEORGIUS, & nostras spes jubet esse ratas.
Testis adhuc Ledus, cum terga fugacia prono
Desuper urgebat Vulnere, Qualis erat.
Testis, inundanti quæ sanguine plurima fluxit,
Belgia, quot socios duxit in Arma Deos.
Macte diù, GEORGÎ; Tantus si mane nitebas,
Lumina quis medio perferet aucta Die?

Nath. Kent, Coll. Regal. Alum.

Πάντοθ' ἐναντίβιον πολεμίζῃ (θαῦμα ἰδεσθαι)
Χάρμαθ' ἁμμεγέθη, ἄμυδίς τε δυσαλθέα κήδη.
Ὡς τε τὶς ἐν τειόδοισι πολυτείπλοισι κυρήσας
Ἴσαλ' ἐφορμαίνων, ἀπορεῖ δ' ἢ ἰπτέον ἐστίν·
Ὡς πάντεσσι νόῳ δίχ' ὀρώρεται ἔνθα, κὴ ἔνθα,
Εἰλεῖται τε πλάνης, ἄλλος ἠὔτε κῦμα ταραχθέν.
Ἄλλοτε δακνόμενοι, κὴ κήδεσι θῦμον ἔδοντες
Κείμεθ' ὁμῶς καθακλυσαμθύοι (φεῦ) δάκρυσι πικροῖς·
Ἄλλοτε καθχαλόωμεν ἀνὰ φρένας ἔξοχα πάντες,
Καὶ ῥ' ἀνενεχθέντες χαλεπῶν ἐκεκάτησαμεν ἀλγῶν.

Ταύτῃ λαμπρέταθον κατέδυ φάος Ἠελίοιο·
Αὐτίκα κἀκείνῃ μαρμαίρων γίγνεται ἄλλος
Ἥλιος, ὃς πρέσβεων κάλλιστος ἅπαντ' ἀναθάλπῃ.

Δειμαίνω τε λέγων, θάμβος θ' ἕλε πάντας ἰδόντας.
Σήμερον οἰκτίσῳ, καὶ ἀδευκέϊ ὤλεϊ ὀλέθρῳ
ΓΕΩΡΓΙΟΣ, ἴφθιμος Βασιλεὺς, εὔθυμος, ἀμύμων.
Σήμερον αὐτὸς ἐγώγ' ἅμα πᾶσιν δάκρυα χεύω
Μύεια, καὶ κλαίω φθιμένον σοναχαῖσιν Ἀναχτα.
Αἴ τότε μιν θανάτῳ σονόεντϕ ἐγώγε δυναίμεω
Νόσφιν ἐρύσασθαι, ὅτε μιν μόρϕ αἰνὸς ἵκανεν.
Ἀλλ' ἄρ' ἔ λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρϕ ἀλῶναι.
Σήμερον ἦ τάχα πᾶσιν ὀλέθριον ἦμαρ ἂν εἴη,
Οὕτοσὶ ἰῷ ἀπολείπῃ, ἀποσπαθέντϕ σκείνῳ,
Χρυσοφαής τε κλάδος, θεικαλλὴς, καὶ ἐριθηλής.
Ἀλλὰ μὲν ὐδὲ θανὼν ὄνομ' ὤλεσεν, ἀλλά τοι αἰεὶ
Πάντας ἐπ' ἀνθρώπους κλέος ἔσσεται ἀμφιβόητον.

Ὡς ἄρα κήδεα θύμος ἐπετρέπεϊ' ὀκρυόεντα
Εἴρεσθ', ὅφρ' ἔτι μᾶλλον ὀδυρόμϕ σοναχίζω;
Οἴ μοι ἐγὼ. τί νυ πρῶτον, ἢ ὔσσατον ἀχνυμένη φρὴν
Κωκύσϕ, πολέεσι θεοπλήθουσα κακοῖσιν;
Ὡς νοέοντι τάχισα (ἀμήχανον ἐξονομῆναι)
Αἴσιος ἄγγελϕ ἦλθε, καὶ οἱ μεθέπουσιν ἑταῖροι,
Γνήσιον Υἱα Πατρὸς φθιμένου πεφυκότες Ἀνακτα.

Νῦν βοὴ ἄσβεσος Βρετανῶν ἀνὰ υἷας ὀρώρϕ,
Εὐφήμοις ἐπέεσιν ἀπείρονα σύνθορον ἠχώ
Δεινὸν ἀϋσάντων· μέγα δ' ἔβραχεν ὄρεα μακρὰ,
Ἰαχέ τ' ἀμφὶ ῥέεθρα, καὶ ἄγκεα ἀντήχησε·
Καρπαλίμως δ' ἐπόρουσεν ἀνὰ δρυμὰ πυκνὰ ἀϋτή·
Κλαγγηδὸν κονάβιζε πέδον, σμαραγεῖ δέ τε λειμών.

Ὑμεῖς δ', οἰμωγαὶ, καὶ ὀδύρματα χαίρετε πάντα,
Καὶ σοναχαὶ συγεραὶ, καὶ ἀνίαι χαίρετ' ἄπειροι,
Δάκρυά τ' ἀρπθανὲς Πατρὸς εἵνεκα δηϊὰ χυθέντα.
Ἤδη γὸ Βασιλεὺς οἰωνοῖς τεισμακάρεσσιν
Ἦλθε φίλῳ Βρεταvοῖς εἰρήνην πᾶσιν ὀπάζων,
Τῶν φρένας ὐφεγσύνης ἀγανὸς χειμάῤῥοος ἄρσϕ.
Ὡς θεῇ ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ
Συμφώνως πτερύγεσσι θοῇσιν ἀγαλλομένων.
Νῦν τε ὀρεινόμφας Βρεταννία χαίτας ἔπλεξε,
Καὶ σφέτερϕ Βασιλῆ λελιημένη ἀμφαγαπάζϕ.

Κύδεϊ

LUCTUS ET GAUDIA.

Κύδεϊ ἠμετέρῳ τε, καὶ ἐμπέδῳ ἔρματι μένῳ
Σοὶ, Βασιλεῦ, πάσης μάλ' ἄειρε Βρεταννίδος αἴης,
Δοῖεν οἱ Ἀθάνατοι, οἱ ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
Αἰὲν ἀειρύειν, νίκης τε μέγ' εὖχος ἀρέσθαι.

Stephanus Bolton, C. C. C. C. Alumnus.

Ad REGEM.

AUGUSTOS Manes, & ineluctabile Fatum
Flevimus abrepti Regis; penitusque nefandam
Senſere & doluere ſimul Tria Regna Ruinam.
Sat Fatis Luctûqúe datum. TE ſoſpite Gentis
Res nunquam Angliacæ fractas, REX MAGNE, fatebor.
Dum Patrium, Patriæ Laudis non degener Hæres,
Aſcendis ſolium, TE ſuſpicit Albion ipſo
A damno major, Viresque a Vulnere ducit.

Filius in Rege es tamen, & TUA gaudia Patris
Caſtigat Funus; paulumque vacare dolori
TE Pietas jubet: At placidus ſimul Aſpice, læti
Quæ Tibi deducunt dona importuna Poetæ;
Nuper muta Lyræ jam pulſant fila, ſuúmque
Agnoſcunt Phœbum. Sic cum Sol aureus almum
Exerit os nube, æſtivæ ſi forte Procellæ
Straverunt ſata flava, fugat toto Æthere nimbos;
Debiliore die tamen, & vix lumine pleno
Effulget: vario interea modulamine certant
Æmulæ Aves, lætisque ſonant Concentibus Arva.

J. Searle, Coll. D. Joh. Evang.
Socio-Commenſalis.

Ad REGEM.

QUID Tibi communem lugenti, Auguſte, Parentem,
Ambiguis lacrymis Muſa rigata canet?
Hinc lugubre Lyræ carmen morientis Imago
Imperat; hinc hilares elicis Ipſe modos.

Tantos Hic ſolus poterat meruiſſe Dolores;
Solus Tu tantis eſſe medela potes.
Tu potes; ingentem Tibi fas ſarcire Ruinam;
Fas Britonum vultu Spes renovare Tuo.
Hoc Superi voluere boni, quibus Anglia curæ;
Obruta tam triſti ne foret Illa malo.
Hoc Pater ipſe Deûm; Qui, Magno orante VILELMO
Ut Capiti ſacro parceret atra Soror;
"Mitte preces, dixit; Pacem jam tradidit Orbi;
"Nil Hujus titulis Fama quod addat habet.
"Ergo, perfectis, quos terræ debuit, annis,
"Sic meruit Virtus inclyta, Sidus erit.
"Attamen Angliacæ ne Tu vereare Saluti;
"Dignus Patre ſuo GEORGIUS alter adeſt.
"Alter adeſt; Genti ſat tum cavere Britannæ,
"Cum talem Huic Sobolem Fata dedere Viro.
Dixerat, atque Animam cæleſtibus intulit Aſtris;
Numina ter lætum concrepuere Sonum.
Quà locus Alciden inter Sidusque VILELMI
Panditur, Hic ſimili Luce decorus ovat.
Hinc placidè affulgens Nati Benefacta tuetur;
"Inque meâ, dicit, Prole ſuperſtes ero.
Dicta fides ſequitur; Magnum, chariſſime Princeps,
Tu Virtute Patrem, Tu Probitate refers.
Idem ſanctus Honos, idem Tua pectora Juſti
Dirigit, ac puræ Relligionis amor.
Quæ Damna Illius paſſa eſt Brittannia fato,
Hærede Imperii Te reparata videt.
Oblita eſt Morti Patriæ ceſſiſſe Parentem;
Lætitiæque audet pandere vela novæ.
Sic Zembla amiſſum luget triſtiſſima Solem;
Sic gaudet, reducis cum videt ora Dei.
Propria ſint utinam telluri hæc Dona Britannæ;
Nil ultra eſt facilem quod roget Illa Deum.
Longos O! Auguſte Pater, tibi proroget annos;
Et faciet, Britonum ſi modo Nomen amat.
Quæque ferax Regum venientibus Omina Pacis
Dat Sæc'lis, videat Te CAROLINA Senem.

Richardus Mountney, Coll. Regal. Alumn.

QUIS

LUCTUS ET GAUDIA.

QUIS pulsat Aures Rumor? Ut gelidus Tremor
Pererrat Artus, acer & premit Dolor!
Malè grata quæ Vox oritur, & Populos vaga
Latè per omnes murmurat, *Rex occidit!*
Rex ille cecidit, ille dignus Sæcula
Vixisse *Pylia*, Morte quam subitâ occubat.
O Mors acerba, quæ brevi Horulâ abripis
Et Gloriam Hominum, Regum & egregium Decus!
Procella nigrans, antequam surgat, fremit,
Nautísque monstrat Signa venientis Mali,
Sic dira Vis eluditur. Nostrum at Malum
Sine Nuntio advolat, & nihil metuentibus
Toto Impetu insilit, & citatâ Vi gravat.
Hinc grandior Luctus fit, & mordet magis.
Prævisa Mala, quæ patimur, affligunt minús;
Inopina graviùs Damna securos premunt.
Quisquámne Vitæ credat, ancipiti in Loco
Qui cuncta videt humana? Nil certi manet.
Quàm mobili Pede fluctuant Rerum Vices!
Quàm sæpe Lapsu summa præcipiti ruunt!
Hujusce nosmet triste Documentum damus,
Stupente Mundo. En GEORGIUS Sceptro potens
Dextráque stetit excelsus, & Reges super
Surrexit omnes splendidum attollens Caput!
Tremuêre Gentes exteræ, unquam jusserat
Si Bella, & ultro supplices Pacem expetunt.
At ille Terror Gentium & Regum Metus,
Quem Fama celebrat sparsa per Terræ Plagas,
Repente cecidit: ferreâ Mors Hunc Manu
Stravit subactum, Umbrísque tristibus dedit
Non humile spolium. O lubricæ Mundi Vices!
Sic vasta latè Quercus, ingens quæ Caput
Ad Astra fert, & porrigit longè Comas,
Nemus omne superans, ipsa quæ faceret Nemus,
Sævâ Bipenni tunsa succiso labat
Infirma Trunco, Pondere & Terram quatit.
Heu cecidit ingens GEORGIUS! Mœsti sonant
Ut ubique Planctus! En sedet *Britannia*
Squalente Cultu, Voce lamentabili
Cœlum fatigans, largiter Lacrymæ cadunt
Per Ora, Singultúsque creber Pectora

Concutit. At at quid hoc? Madent cur Fletibus
Genæ? Quid hæc Lamenta? Tantos non decet
Ciere Luctus: Maximus Cælo eſt Deus,
Qui Fata Regum volvit. Hic Vitæ Arbiter
Necísque utrumque dividit mortalibus,
Æquus in utroque. Ferre quod Cælum jubet
Validè ferendum eſt. Eſt Nefas duris quati
Animóque frangi: Nempe ſic viſum Deo.
Mittite Querelas, his datum ſat; Planctibus
Miſeris, *Britanni*, parcite, haud miſeri ſumus.
Hic GEORGIUS cadit, alter at non deficit
GEORGIUS, Imago Patris, in Nato Parens
Refulget. Habet Hic Sceptra, quæ tenuit Pater.
Sic magnus *Atlas* Onere defeſſus locat
Herculis in Humeros Pondus immenſum Poli.
En GEORGIUS *Britonum* Amor atque Gloria
Regale Solium aſcendit! O dignæ Manus
Regnorum Habenis! Verticem ut cunctos ſuper
Celſum, Decúsque regium in Vultu gerit!
Aſpicite, ut omnes quicquid eſt læti uſpiam
Monſtrant, ut ingens gratulantium undique
Ferit Aſtra Clamor. Hinc & hinc Populi fremunt.
Ubique creſcunt Gaudia; uno conſonant
Tria Regna Plauſu, GEORGIUS *vivat diu.*
Adeſte, cuncti, adeſte, Laudes GEORGII
Iterate Cantu. Hic Ille, qui Patriæ eſt Parens,
Columénque Regni. Hic ſacra Pacis protegit
Bellíque Jura. Rege ſub tali vigent
Pax grata Muſis, Veritas Fuco ſine,
Juſtitia flecti neſcia, & caſtus Pudor,
Et Honor & Artes, priſca Pietas, & Fides,
Rerúmque quicquid proſperum Regnum facit.
Rex Magne, ſalvum Te jubet *Britannia*,
Nempe ipſa per Te ſalva. Sit tutum Caput
Tam dulce; nec Vis lædat unquam, nec Dolus.
O nos beatos Rege ſub Te! Tu dabis
Orbi Quietem, Sæculo & Pacem tuo.
At ſiquis Hoſtium impius Pacem audeat
Violare, Tua tum Sceptra quid poſſint, ſciat.

Ric. Croſſinge, S. T. B. Aul. Pemb. Soc.

ALTERA

LUCTUS ET GAUDIA.

A TERRIS Regem cùm morte Britannia raptum
Audiit in Cælum, & Regna beata Deûm;
Incuſat Superos, vocat & crudelia fata:
Et mox reſponſum hoc ab Jove mœſta tulit.
" Nè Nobis Patrem invideas: Diis illa voluntas:
" Anglia habet Natum, Regia noſtra Patrem.

C. Reynolds, A. M. Coll. Jeſ. Soc.
Reverendi in Chriſto Patris *Ricardi*
Epiſcopi *Lincolnienſis* Filius natu
ſecundus.

ANGLIA compescas Lachrymas, Pater (ecce!) triumphat,
Regnantem Natum dum videt Ille ſuum;
Qui Fortis, qui Fidus erit, ſeu Bella geramus,
Seu Pacem; Hiſpanus ſentiat Illa tremens.
Sentiat Hic Vires non defeciſſe Britannas,
A Patre nam forti fortior Alter adeſt,
Parcere Subjectis, & debellare Rebelles
Qui bene ſcit, Propriâ, Patris & uſus Ope.
Nos nunc Cura Deûm, Nobis nunc invidet Orbis;
Invidiam at ſuperat Pax domi, & Arma foris.
Armaque dum Nati terrent victricia Mundum,
A Patre Pax præſto eſt; quam tenet, Ille dedit.
Hic Terris, regit Ille Polo, gaudete Britanni;
Præſidet (en!) duplex GEORGIUS Angligenis.

Jacobus Cavendiſh, Coll. SS. Trin. Alumn.

Ὦ ΠΟΠΟΙ, ἡμετέραν γαῖαν μέγα πένθος ἰκάνει·
Κοίραν ὤχελο πᾶλε, καὶ ὕσσατον ὕπνον ἰαύει
Νήγρετον, ὃς πάντων Σκηπτούχων ἦν ὄχ' ἄριστος.
Κλαίετε Γηγενέες, ὔμμιν τοι ἀθέσφατον ἄλγος
Ἔσσω, ἐπεὶ θάν' Ἄναξ πάντων Μύσαισι φίλιστος.
Κάτθανε Διὸς Ἄναξ, ὃ μοὶ κλέος ὄπλοτ' ὀλεῖται.
Τίς θνητῶν Ἀρεταὶς τοιάσδ' ἐρεῖ; ὃ γὰρ ἔγωγε,
Χίλιαι ὰδ' εἰ μοι γλῶσσαι, καὶ χάλκεον ἦτορ.
Τίς ὧδ' θανεῖν ἐρέει; λαῶ Βασιλῆα Βρεταννῶ

Οὔποτε Μοῖρ' ὁλοὴ πλήσθ· λίπ' ἐοικότα ἠὸν
Ἐν πάντεσσι Πατὴρ, ἀρετήν τε, ϛ ἰχνὺν ἔχοντα,
Κοίρανον ὑψιμέδοντα, ϛ ἄλκαρ ἀθέσφατον αἴας.
Νῦν ῥα ΓΕΩΡΓΙΟΣ ἄλλος ἀνὰ Βρεττανίδα γαῖαν
Σκῆπτρον ἔχῃ Πατέρϙ (μέγα χάρμα δὲ Γερυσίσι Μούσαις)
Εἰς ἔτϙ ἐξ ἔτεϙ Βασιλεὺς Διάδημα λάχοιϛ,
Καὶ Παῖδες Παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται,
Χάρμα μέγ' ἡμετέρῳ τε, ϛ ἐσομβρίοις Αἰῶσι.

S. Hall, Coll. Div. Johan. Alumn.

DUM res Europæ lapſas, diſcordia Regna
Fœderibus ſocians firmis, ſtabilire pararet;
Dum ſævos Belli motus componere, Pacis
Pollicitus Populo diuturnæ gaudia: fato
Abreptus petiit cognata GEORGIUS aſtra.
Fundimus hinc grato, vanas licèt, ore querelas;
Felici Manes veneramur ſede receptos,
Regalésque pio cineres ſacramus honore:
Accipiant faſti Nomen memorabile; fortis
Audiat & clemens, Pace inclytus, inclytus armis.
At Tu, ſumme Parens, Mundi qui flectis habenas,
Et juſtos almo tutaris Numine Reges;
Reſpice res noſtras; & quæ concedere amato
Dignaris Populo, jam nunc concede Britannis.
GEORGIUS, en! quantâ cum Spe, cum laude Paternum
Conſcendit ſolium; ſit ſpes non irrita nobis,
Et propriam huic ſerves laudem; felicia ab iſto
Tempore sêcla fluant: veſtro ſub Numine regnat,
Imperii diſcat veſtris ex legibus artes:
Seu Pacem ſeu Bella gerat, feliciter à Te
Sumat principium, finis Tibi cedat honori.
Prima Illi ſit cura Fides; Eccleſia Patre
(Proh dolor!) orba ſuo eſt; nunc ſeſe GEORGIUS alter
Vendicet in Patrem: Pietas, Doctrina, Pudórque
Illius auſpiciis vigeant, & digna Piorum
Dum Mitræ exornant capita, exornentur & ipſæ.
Qualis Vere novo teneros deſcendit in agros
Imber aquæ placidus, ſeu manat roſcidus humor;
Floribus hinc prata exultant & gramine, Valles
Fœcundæ ſegetum lætantur, Copia felix

Arridet

LUCTUS ET GAUDIA.

Arridet latè campos diffuſa per omnes.
Illius Regni talis ſit Gratia, talis
Gloria; concordes foveat clementia Cives,
Et Pax perpetuos habeat ſecura triumphos:
Qualis erat, Patris quondam cum Sceptra gerebat,
Talis ſit, Sua Sceptra gerens, Idémque colendus
Lenibus Imperiis, & Majeſtate verendus.

Ad. Batty, A. M. Coll. Regal.

PRINCIPIBUS proavis, & ſanguine nobilis alto,
Ipſe tuæ gentis ſummum decus, inclite Georgi,
Aggredere, O, magnos, dignum te pondus, honores,
Vota inter, ſpes & populorum, & gaudia feſta.

Te videt, & procul ire graves jubet Anglia luctus;
Te duce proſpectat vel non ingloria pacis
Otia, vel juſto quæſitos Marte triumphos.
Te circum adfuſæ, Virtutum candida turba,
Cæleſtes formæ exſultant. Stat Gloria cuſtos
Invidiam auguſti vultus ſplendore repellens.

I, dilecte Heros, pulcriſque laboribus inſta:
Regna vocant, vocat & regnis gravis addita cura;
Magna tamen merces. Tibi præſcia Muſa futuri
Fatorum pandit decreta, urgetque volentem
Grande decus ſpondens & iturum in ſecula nomen.
Illa etiam viridi ſecum tibi ſola ſub antro
Serta legens ſedet & cincturas tempora lauros.

Ætherios ſupra tractus, ubi candida denſis
Sideribus placido Via Lactea lumine ridet,
Stat domus alta, ingens, æternæ regia Famæ.
Semidei Heroes habitant, & nomina ſacra,
Quique olim in ferrum pro libertate ruebant,
Splendidaque ob patriam pugnando vulnera paſſi,
Et multum fleti reges, qui æquiſſima blandi
Jura dedere ſuis, quique impia bella moventes
Fregerunt populos metuendi ultricibus armis.
Lux veſtit complexa viros, lauroque virenti
Atque intertexta velantur tempora quercu.

Fatorum hic cælata manu ſtant ordine longo

Quæ vidit prior, aut ætas ventura videbit,
Quæcunque oſtendunt labentia ſecula terris
Digna Deæ templo, & laudes habitura perennes.

Georgius has ſedes mortalia ſceptra relinquens
Aſcendit, Divoſque petit gratiſſimus hoſpes.
I, ſequere, & lege, Muſa, tui veſtigia regis.
Qua lux ſignat iter, qua ſemita clara refulget,
Flammarumque vides longos albeſcere tractus.

Magnanimi Heroes, quos Anglica terra triumphis
Nota tulit, Gallo reſperſi ſanguine lauros
Edwardi, belloque & pace illuſtris Eliza,
Wilhelmusque, feris nomen fatale tyrannis,
Occurrunt venienti, & ſacra in ſede reponunt.
Circum ſculpta videt laudum monumenta ſuarum;
Cæſareamque aciem, & primis ſe cernit in armis
Fulgentem, & refugo pallentes agmine Turcas.
Tum Britonum domito labentes æquore claſſes,
Quaque ruens pontus Calpæam verberat oram,
Quaque ſub imperio gelidæ jacet horridus Urſæ.
Proxima lucenti ſurgens adamante columna
Nati facta refert, doctoque inciſa labore
Eventus magnos gerit, & felicia regna.
Huc avidus mentemque pater & lumina vertit.
Aſſertum pelagi imperium, clarosque triumphos,
Argumentum ingens, luſtrat, Tameſinque ſuperbum
Gratantem reduces blando cum murmure claſſes.
Tum videt ut leges idem juſtiſſimus auctor
Condis & obſervas: blandum Pax aurea vultum
Erigit, adſurgunt Artes, dominamque ſalutant.
Audax interea pelagoque adſueta juventus
Extra ſolis iter poſitas adit hoſpita gentes,
Et mutat merces, & mutua fœdera jungit.
Ipſe minas ponit, placidusque arridet alumnis
Oceanus patet, & dextra propellit euntes.

Hæc videt, & fruitur venturo lætus honore,
Explerique nequit Pater, atque ingentia nati
Confert acta ſuis; confert, cedenſque ſuperbit,
Te minor, & grato gaudet certamine vinci.

Joannes Fortin, Coll. Jeſu Socius.

INSTAT

LUCTUS ET GAUDIA.

INSTAT Hyems, Nebulis Cæli ſua Lumina condunt;
Privatur variis floribus omnis Ager:
Deliquium patitur ſubitum Sol, Luna laborat,
Et Natura, Eheu! languida tota jacet.
Miraris cur tanta inſtat Mutatio Rerum?
Lux Britonum Fato GEORGIUS occubuit.
At Cæli, En! renovant ſua Lumina, Floribus Horti
Rident, atque novo Prata Decore nitent.
Deſine mirari, nam qui dat Tempora læta,
Cura Deûm & Britonum, GEORGIUS alter adeſt.

S. Soame, Coll. Sid. Suſſ.
Soc. Commenſalis.

GENTIS querelis & Populi preci
Negata Terræ Vita Britannicæ
Fatoque tandem deſtinata
Ad patrios volat Umbra Divos:
Quem non Deorum in vota vocavimus?
Quis non vocatus munere ſupplici?
Fruſtra ſed Angli vota cælis,
Inferias dedimusque fruſtrà.
Ætate plenus, plenus honoribus
Debetur aſtris, lumina dexterâ
Claudente fraternâ, cadentis
Eximius Reparator Orbis.
Famam ſed Ætas fida tuebitur:
Laudet Parentem Patria, Vindicem
Europa, felices Statorem
Angligenæ Populusque Iërnes:
Laudanto pectus conſilii potens;
Laudantò fortem Militis impetum,
Terrorem adhuc flavum bibentis
Aut Rhodanum procul aut Garumnam:
Laudanto Dextram ſæcula bellicam,
Infracta ut annis illa ſenilibus
Dimovit obſtantes Amicos
Flandriacas domitura turmas.
Quando intrat Heros Elyſias domos,
Umbram potentem Regius excipit

Chorus, beatorumque turma
Proſequitur placidâ Camænâ.
Ducem videres, dum ſibi conſcio
Victoris adſtet Gloria, Turcicum
Cæcas repoſcentem Cavernas,
Umbriferi & nemoris tenebras.
Tandem recentem conſpicit Advenam
NASSAVUS Heros, Angligenûm Stator,
Dum poſteros luſtratque ſeros
Proſpiciens animo nepotes;
Oſtendit acres Hic Juvenes Decus
Orbis futuros & Dominos ſimul:
Oſtendit Hiſpanos ſuperbos
Angliacâ domitos ſub haſtâ:
Rhenique & Iſtri littora Hibernicis
Adjecta Terris, Sceptraque Galliæ,
Anglosque Terrarum potentes
Occiduo dare jura mundo.
Verusque vates: Regna capeſſito,
Illuſtris Hæres, prole ſuperbiens;
Sis prole multâ perbeatus,
Quæ paribus radiis niteſcat!
Te, Te precatur Granta ſuperſtitem,
Auguſte: Linguis, quot dederit Pater
Pubi colendas, GEORGIANUM
Nomen ab Angligenis coletur.

Gul. Broxholme, Coll. D. Joh. Alumn.

DUM veſtrum Elyſia adventum gratantur ad arva
Illuſtres animæ, veſtro de nomine quondam
Magnanimi Heroes, & Libertatis amantes,
Exceptumque avidis dum te GULIELMUS in ulnis
Fataque, fortunasque ſuorum, & ſingula poſcit;
Anglia Te centum plorat viduata per urbes,
Anglia, quæ cunctas inter pulcherrima terras
Extulit alta caput, ſeu debellare ſuperbos
Auſpiciis, Invicte, Tuis properabat, olivam
Paciferamve gerens in fœdera cogere gentes.
Te bellum minitante, tuasque parante catervas,
Inſolito trepidare metu Germanica tellus,
Demiſſisque Aquilæ volitare per aera pennis.

Nec

Nec tibi inexhauſtæ, quibus affluit India, venæ
Aurique Argentique valent, Hiſpania, totum
Dum cernis noſtris obtentum claſſibus æquor,
Præcluſosque omnes aditus, dum fulmina jactant
Tormenta, & multâ gravidum nece miſſile ferrum.
Hunc belli terrere minis? huic arma timori
Speres? cui primâ, pœnè intonsâque juventâ
Credidit Imperium, & longum deſueta triumphis
Agmina (cum totam Gallus tremefecerat armis
Europam) auratâ trepidans Leopoldus in aulâ.
O nunquam nobis ſat deplorande GEORGÎ,
Cui licet haud dubiam ſemper Victoria palmam
Extendit, ſemperque Tibi extenſura fuiſſet,
Spreviſti Laudesque, & honores cæde paratos,
Et placidâ potius coluiſti pace triumphos;
Scilicet ut Pietas, Longo comitata ſororum
Agmine, Juſtitiâque, Fideque, ut tu quoque, nullis
Libertas Inamata, ſuis Te fidere regnis
Digneris, populumque tuis virtutibus ornes.
At tu, qui ſolus Lacrymas cohibere fluentes
Natus es, &, quæ non ſperantes magna, Britannos
Imperio regere, & facili ditione tenere,
Aggredere O! patriisque bea virtutibus orbem,
Non regno magis, ac patriis virtutibus hæres;
Te, Te jamdudum pariter pietate, vel armis
Vidimus egregium, parilique incedere greſſu,
Te quanto regem Plauſu, ſobolemque Britanni
Excipiunt, Solemque ſuum, ſua ſidera jactant.
Hæc inter quis Te tacitam, CAROLINA, relinquat
Fœlix prole tuâ, qualis Berecynthia mater
Eveheris pulchrâ natorum cincta coronâ,
Et curru ducis famamque, & fata nepotum.
Quin vos & memorem noſtri Jovis incrementum,
Quæ non de vobis vel nunc ſpondere licebit?
Nec miranda tamen; cum poſtera noverit ætas,
Quis Deus inſtruxit pueros, quæ Diva puellas.

Rob. Bankes, A. B. Coll. Regal. Soc.
Unus è Modern. Hiſt. Schol. Regiis.

INGENS Deorum cura, Britannia,
Regina latè fluctibus imperans,
Quam potor Iſtri, quam timere
Heſperiæ didicêre reges,
Mœrore plenos, prodiga luctuum,
Inſtaura honores: occidit, occidit
Invictus armis Rex Britanni
Imperii, Fideique cuſtos.
Plorate Gentes: occidit, occidit
Qui tot retorſit Pontificum dolos
Ipſos in autores, & Idem
Pacis erat mediusque belli.
Navale Moſchus vidit & horruit
Fulmen GEORGÎ, quidlibet impotens
Sperare, lymphatamque mentem
Dedidicit, ſine clade victus.
Bello frementes armigeras rates
Germanus horret, ſentit Iberia
Quid miles, illo dante Divos
Conſiliumque animosque, poſſit.
At Roma damnis altior Angliæ
Fruſtrà ſuperbis ſoſpite Filio,
Qui mente defendet ſagaci
Inſidias, Latiique fraudes.
Colent, GEORGI, Te, rutilans Tagus
Quos nutrit, hoſtes; exuet inſitam
Arctous iram miles, armis
Compoſitis, ſtabilemque condet
Felicitatem, Te ſocium petet,
Læſæque pacis Gallia vindicem;
Cuſtode rerum Te minaces
Deſpiciet Batavus Sicambros.
Tuis perennes, Rex bone, ferias
Præſtes Britannis, & ſolito imperans
Favore ſis tutela gentis
Ipſe, Tuo ut decus illa Sceptro.

Tho. Reynolds, Coll. Regal. Alumnus.
Reverendi in Chriſto Patris *Ricardi*
Epiſcopi *Lincolnienſis* Filius natu
quartus.

ΘΟ

Ὅθ' ἡ καλαῖς παρ' ὄχθαις
Κάμε μένεσα πότμον
Ἄχεσε Μᾶσ' ἄελπτον
ΓΕΩΡΓΙΟΥ θανόντος;
Χρυσῆν ἔδρυψ' ἔθειραν,
Καλήν τε τλῶ παρειὰν
Λυγρὰν χέσα φωνήν.
Ἐγὼ μὲν ὧδ' ἐ Φοίβῳ
Χάριν τόσην ὀφείλω,
Ἐγὼ μὲν ὧδ' ἐ Φοίβε
Τόσῳ χόμιλω ἔρωτι,
Ὅσον σ', Ἄναξ, φίλησα
Τεαῖς τραφεῖσ' ἐέρσαις.
Σοὶ γὰρ θεοὶ τὰ δῶκαν,
Σοφόν τε νῶν Ἀθηνᾶ,
Ἄρης τε τλῶ μαιμώλω,
Κρόνε τε παῖς τὸ σκῆπτρον,
Δίκη τέ σοι πάρεδρος,
Νίκη τ' ἔην ὀπαδός.
Θεοί σ', Ἄναξ, ἔτρεψαν
Τιμῶν δρέπειν τὰς ἄκρας,
Κλυτοῖς τε πᾶσιν ἀνθεῖν,
Ὅπως ἀεὶς θ' εἴης
Λαῶ κρατῶν ἀείσε.
Θεοὶ δ' ὅπως ἐσεῖδον
Ὑπερβαλὸν τὸ κάλλος,
Βρετοῖς μέγηραν εὐθὺς,
Καὶ ἐρῶντες εἶλον αὐτοῖς.
Καὶ νῦν συνεῖς ἐν Ἄρεως
Γανύμβρῳ χαρείαις,
Λιπὼν μέγα μὲν ἄλγος
Πόθον τε τοῖς Βρεταννοῖς,
Καί μοι μέγισον αὐτῇ.
Θάνεν γὰρ ἄνθος Ἀγγλων,
Πατήρ τε τῶν ἀοιδῶν.
Ἔφην δ' ταῦτ' ἀχέσας,

Μέθες βοᾶν ματαίως,
Ὃγ' ἀπῆλθε συγχορδύσεων
Ὁμογνίοισι φύλοις.
Ὃδ' ἐξεφαίνετ' ἄλλῳ
Τεὴν φιλῶν ἀοιδὴν,
Πατρός τε σκῆπτρον ἴσχων,
Δύνοντι ἠλίῳ τε
Ἔγεντο λαμπρὸς ἄλλος.

J. Tunstall, Coll. Div. Joh. Alumn.

QUIS subito trepidas rumor gravis occupat aures
Angliacæ Patriæ jam cecidisse Patrem?
Occidit, æternoque occlusit Lumina Somno,
GEORGIUS, Ille Armis maximus, Ille Togâ.
Occidit, externis heu non ita Creditus oris!
Dum Patriæ Utilior, quam sibi, Cura rapit.
Nec Morbus lentè decerpsit Corpore vires,
Sed sacrum oppressit Mors inopina Caput.
Scilicet Hoc cavit Dea non improvida Clotho,
Fila prius Vitæ jam leviora videns;
Ne tabente Illo, Brittannia Tota dolore
Tabeat, & Populus, Rege cadente, Cadat.
Hic neque claudentem moriturus Lumina Natum
Sensit, nec dixit Lingua paterna, Vale.
Quæ non donavit Vitam, nec funera donat
Anglia, Principibus Gens pia grata piis.
At locus ingratus qui Vitam præbuit, aufert;
Et Domino, & nobis, Urbs malefida, tuo!
(Credite jam Famæ) sic nuncia Veris Hirundo,
Cum lætum ostendit Tempus adesse Viris,
Aerios linquens confectâ æstate Volatus;
Quo nata est illic gaudet & ipsa mori.
Jam spectant Funus quæ spectavere Triumphos
Oppida, quam dispar Huic fuit illud iter.
Jam Tumulum Regi Germania mœsta datura est,
Anglia at in Tumulum corruitura suum,
Nî res fulciret nutantes alter ab illo
GEORGIUS, & caperet fræna remissa manu.
Jactatam tantis novus hic Palinurus in Undis,
Cælesti ad portum dirigit arte ratem;

Et

Et demiſſa Polo ſalvè CAROLINA, renident
  Cui greſſu Charites, cui Cytherea genis;
Quis metuat puppis pereat ne merſa Profundo,
  Cum rectam monſtres, Stella benigna, viam?

Pierii Juvenes, Tuque, O Sanctiſſima Mater,
  Dignum Laude Virum, Granta, perire vetes!
Dum vixit, quæ non cepiſtis Munera, veſtra
  Ipſi etiam extincto Munera ferre decet.
Concelebret Regis nunc omnis Pagina laudes:
  Cum tumeat Donis Bibliotheca ſuis.
Hunc celebrent Libri quos tot congeſſit, & illâ
  Quam vetat Ipſe mori, vivat in Hiſtoriâ.
Jam decet omnigenis præconia fundere linguis;
  Cum vobis Linguas Tot didiciſſe dedit.
Tollite Vos Daphnin, nam vos & Daphnis amavit;
  Nec veſtras olim ſprevit adire domos.
Vos Animam Herois ſublimem inducite Cælo,
  Vos & Pieriâ ſpargite Corpus aquâ;
Sic quod non regale poteſt Diadema, perennem
  Muſarum reddent Laurea ſerta Deum.

Johannes Gibſon, Aul. Clar. Alumn. Filius natu Max.
Reverendi in Chriſto Patris *Edm.* Epiſ. ***Londinenſis.***

Ad REGEM.

ACCIPE, ſed vultu placido, munuſcula muſæ,
  Quæ tibi lugubri ferre jocoſa timet:
Fert tamen, abreptum nam Patrem noſtra Thalia
  Nec debet, nec, Te ſoſpite, flere poteſt.
Omnis in hoc virtus placidè conjuncta refulſit,
  Nobilitas, Pietas, nec temerata Fides.
Hunc doleo avulſum: ſed quum non deficit alter
  Aureus, haud nobis cauſa doloris erit.
Gallia languidior, ſed fortior Anglia, Rege
  Abrepto, Regis Te ſubeunte vices.
Sic capite exciſo ſinuoſa volumina curvat
  Incaſſum ſerpens, invalidûsque tumet.
Aſt è vulneribus fœcundis Hydra redundat,
  Sævior inque hoſtes fit rediviva ſuos.

D. Cumberland, Coll. SS. Trin. Soc. Commenſalis.

QUID trepidant Gentes? Diſcurritur undique. Rumor
Attonitos inopinus agit. Tremor occupat Artus,
Quo trepidare ſolent Cives cùm Nuncius Urbi
Adventare Hoſtes moneat, Cædémque minari.
Unde fit ut tantos cieat Natura Tumultus?
Scilicet extinctum ſubitóque ex Lumine raptum
Proſequitur Gemitu Luctúque Britannia Regem.
Quid prodeſt potuiſſe Mari dare Jura patenti?
Quídve juvat tractâſſe æquo Moderamine Sceptrum?
Quid quòd & ingratis compeſcere tenderet Arma
Fœdere conjunctis Europæ Regibus, Arma
Extremam immeritis Anglis minitantia Cladem?
Virtus tanta cadit Morti ſua Præda rapaci!
Non erat indignus certè cui longior Uſus
Creſcentis paritèr Famæ Vitaéque daretur.
Cælo alitèr placuit: cui & nos parere decebit.
Pone Modum Lacrymis, nec defluat Unda perennis.
Extinctum fruſtrà revocabis: mitte Querelas
Vanas, nec ſperes reddi quos excipit Orcus.
Uſque adeóne tamen jactabitur Anglia Ventis,
Sedibus ut nequeat dici conſiſtere certis,
Sed motâ Radice huc illuc fluctuet Undis?
Quem deploramus poſt ſe nullúmne reliquit
Rebus qui facilè poterit ſuccurrere noſtris,
Quíque Onus Imperii ſibi ſumat & induat Arma?
Adſpice quanta Deus fudit ſolatia nobis,
Et Votis quantum conceſſerit. Ecce SECUNDUM
Principis amiſſi Dotes Noménque tuentem.
Quæ modò nutavêre Fides, Pax alma, Salúsque,
Angligenis poſthàc ſtabili Pede firma manebunt.
Quippe tuis freti Virtutibus, Inclyte GEORGI,
Projicient Angli Curas Ludibria Ventis.
Nam quid ſollicitos teneat Formido futuri,
Quos regit expertus Rerum, prudénsque, ſciénsque?
Quæ tam inculta jacet Regio quæ Claſſe Britannâ
Merces advectas hinc acceptare recuſet?
Gaudebunt Nautæ Patriámque Larésque reverſi,
(Queîs nulla Oceanus præter ſua Monſtra repandit)
Arti Materiem revehentes undique partam.
Noſtra hæc Muſarum Sedes te gaudet adepta
Regem, quem pridem geſtit ſenſiſſe Patronum.

LUC[illegible] ET GAUDIA.

Nè ſpem conceptam, quid fallat, Lumina verte;
Diſcedénsque Throno paſſimper cætera cernas.
Regina incedit Greſſu CAROLINA decoro,
Tanto digna Viro quæ Conjux eſſet, & Anglos
Redderet Heroum numerosâ Prole beatos.
Tu Regis minuis Curas ornásque Coronam.
In Te vera Dei nacta eſt Eccleſia Matrem;
Utpote quæ quondam manifeſtum feceris Orbi,
Præ puro Cultu tibi nec Diadema placere.
Gratia quanta ſolet comitari Verba loquentis?
Quàm tenero Affectu Natos fovet, ardet & ornat?
Hâc Cultrice Manu Virtus magìs enitet ipſa.
Hinc prima Incrementa tulit ſibi cuncta Supellex
Virtutum quæ te præbet, FREDERICE, colendum.
Cætera Progenies hinc diſcit Regia, Vitæ
Partes quiſque ſuas ſummâ cum Laude tueri.

Edw. Hubbard, A. M. Aul. Cath. Soc.

SOLVITUR in tantos dum mœſta Britannia luctus,
Muſa, habitum infelix temporis hujus habe:
Quam modo geſtabas, flavens ponatur Oliva,
Et circum crines nigra Cupreſſus eat.
Ultima jam memoris poſcit munuſcula versûs,
Defuncti Herois non moriturus honor.
Triſtes ergo para chordas & flebile plectrum,
Tuque piis dona, quàm potes, oſſa modis:
Otia nempè Tibi priùs hæc, quem flemus ademptum,
Quam Cælos adiit GEORGIUS ipſe dedit.
Inſuper unde fluat lacrymoſi Copia cantûs,
Te ſatis inſtruxit GEORGIUS ipſe libris.
Et renuis Tu, Muſa, Elegos componere, & illum,
Qui Tibi poſſe dedit, Carmine flere negas?
Sat ſcio, cur hæres adeo.—Tu viribus impar
Ne male deſcribas, nec ſine jure, times.
Pone nimis pudibunda timores.—Mellea quondàm
Fertur apis ſummo dona tuliſſe Jovi.
Præterea hoſtili, quæ nigrum pulvere Martem
Scit ſatis audaci pingere Muſa ſtylo?
Quis referat placido ridentem lumine Phœbum?
Mortales ſuperant talia penſa manus.

Si, niſi digna ſatis canimus Tibi Carmina, GEORGI,
Nulla canenda manent, nulla canenda manent.
Aggredimur quoties celebrare Heröa, tremiſcens
Mirantis partes Muſa ſilentèr agit:
Cum patriæ Regemque ſimul patremque tuemur,
Verborum ſuperat vim benè fidus amor.
At quid agat, qualesve effundat Muſa querelas?
Unâ Heros periit, Rexque, Paterque, nece.
Proh Dolor! Ecquis erit deſiderii Tibi finis?
I, tumulum, in lacrymas tota ſoluta, riga:
Saltèm ubi lingua ſilet, numeros ſingultibus imple,
Et planctus, verſu deficiente, ſonent.
Ergone ſic fruſtrà, cum Te commiſimus undis,
Incolumes, Puppis, juſſimus ire vias?
"Navita, flecte ratem verſisque relabere velis.
Flectis——at heu numerum non habet illa ſuum.
O! redeas; GEORGI, Spes O! fidiſſima gentis,
Interſis populo lætus, ut ante, Tuo:
Sed quid ego hæc autem?——Tu non mortalia curas,
Non Divo exiguis rebus adeſſe vacat.
Infelix quid ages, orbata Britannia? Quis Rex,
Patronus quis par inveniendus erit?
Non eſt ut nomen referam.—Sua maxima virtus
Egregium monſtrat conſpicuumque Virum.
En! quantùm patriis virtutibus emicat Heros!
En! pulchra ad dextrum ſtat CAROLINA latus!
En! ſimilis matri quàm prolis amabilis ordo!
Reginis olìm Principíbusque dolor!
Mox venit Hannoviis Brunſvicius alter ab oris,
Tam ſimilis, tempus quam dedit eſſe, Patri:
Sis tamen O utinam ſerus ſucceſſor! & illud,
Publica vult pietas, &, FREDERICE, cupis.

Tho. Thickneſſe, Coll. Regal. Alumn.

GEORGIUS

LUCTUS ET GAUDIA.

GEORGIUS, agnato Cælo modo maxima Cura;
Redditus eſt Cælo jam Decus ipſe novum.
Quo vivo, nullum novit Brittannia Luctum,
Defuncto, Lacrymis abſtinuiſſe nefas.
Sponte ſuâ fundit ſine Musâ Carmina Luctus;
Hoc non Ingenii, ſed Pietatis opus.
Ecquis enim varias GEORGÎ deſcribere Laudes,
Et Belli & Pacis munera bina, queat?
Illi Pallas utrumque ſuum conceſſit Honorem,
Mixtaque cum Lauro cinxit Oliva caput.
Aſt alii Bello invictum, Oceanique potentem,
Carmine Materiæ conveniente, canant;
Nos Pax alma juvat noſtræ magis apta Camænæ,
GEORGIUS & placidæ Pacis amator erat:
Muſarum Sedes Patronum luget ademptum,
Pace vigent Artes, Pace vigere dedit.
Non injuſta Illi placuerunt Arma benigno,
Nec placuit forti Pax inhoneſta Duci.
Quos nuper potuit Bello ſperâſſe Triumphos?
At Populi quam Dux maluit eſſe Parens.
Ergo etiam occubuit non unâ Gente dolendus,
Nec ſola ereptum Terra Britanna gemit:
Lætitiæ ſocias, dederat quam GEORGIUS orbi,
Læta habuit; ſocias mœſta Doloris habet.
In partem Luctûs Europam convocat omnem,
Et ſua dum luget, Publica damna dolet.
O quæ Conſilia Europæ proviſa ſaluti
Hoc tanto intereunt intereunte Viro!
Nec tamen intereunt; eſt nobis GEORGIUS alter,
Qui virtute pari Sceptra Britanna gerat.
Si perfeciſſet, quæ tam bene cœperat, Ille,
Materia Huic Laudis nulla relicta foret:
Ne Tibi nulla relicta foret, jam maxima reſtat;
Europæ eſt a Te perficienda ſalus.
Europæ quam certa Salus, nova Gloria, Princeps,
Quanta futura Tibi eſt, Gaudia quanta Tuis?

Mandevile, A. B. C. C. C.

QUID frustra Divos & ineluctabile Fatum
Accusare juvat? procul O procul ite, profani,
Qui justa ingrato violatis gaudia fletu.
Gaudia, quæ præsens fert secum GEORGIUS, Anglos
Tantane respuere; & vanis temerare querelis,
Quod cingit lauri decus immortale, sepulchrum!
Hoc prohibet nobis raptus Pater & sua plangi
Ipse supervacuo nolit jam funera luctu.
Non omnis moritur; celebrat diffusa per auras
Fama Virum, rapit & sublimi gloria curru.
Non prius Ille animam cognatis reddidit astris
Deseruitque suos, quam mitem tendere olivam
Infensas gentes, & ponere tela, coegit;
Et sibi victurum peperit per sæcula nomen.
Parce igitur lacrymis fœdare, Britannia, vultum.
En coram, quem quæris, adest! en GEORGIUS alter!
Defere nunc Tua Parnassi juga, defere Pindi
Dilectas sedes, Te vendicat Anglia totam,
Calliope, nunc fila move, nunc debita Regi
Carmina sunt dicenda; neget quis carmina Regi?
Non puer Ille, rudi dextrâ qui tractet habenas,
Ignarusque artis, regnique laboribus impar;
Non senio tristi languens & inutilis annis;
Sed firmâ præstans ætate, animoque virili
Insignis, solium magnorum ascendit Avorum.
Orbi jura dabit Victor; dabit otia Custos,
Otia securis non interrupta Britannis.
Et jam Germanum video Hispanumque trementem,
Et vix Arctoo tutum sub frigore Russum.
Non iterum audebunt, sociali fœdere rupto,
Invictos ad iniqua lacessere bella Britannos.
Jamque Aurum referunt venientia sæcula priscum.
En! opibus stipata redit Pax, Copia cornu
Pleno, & Libertas erectâ fronte decora,
Et Pietas puras tendens ad sydera palmas.
En! Artes ut dignus Honor comitatur; ut Artes
Granta fovens ridet, sibi dum fundamina poni,
Auspice Rege, videt, dum mœnia celsa Theatri
Surgere, seque novam, posito squalore, renasci.

Guil. Trollope, A. B. Aul. Pemb.
Tho. Trollope Baronetti Filius.

LUCTUS ET GAUDIA.

TANDEM Muſa jocis omnis vacet, & ſua ponat
Ludrica; nil grati jam ſinet atra dies.
Nobis jam liceat noſtro indulgere Dolori,
Et lachrymæ curſu liberiore fluant.
Huc ades & triſtes, Elegëia, ſolve capillos,
Præcipe jam ſi quod lugubre carmen habes.
Præcipe jam threnum, præſens quem poſtulat hora,
Si potis es, tanto Principe digna canas.
Rex (fari metuo) Rex Gloria ſumma Britannûm
Occidit, heu multis flebilis Ille bonis,
Nam Bonus Ille fuit. Quis ſiccis audit ocellis?
Quis non Hunc proles luget ut orba patrem?
Cum venit in mentem fortis Rex atque fidelis,
Ipſa venit Virtus, & venit ipſa Fides.
Si Populus Votis Tua fata recludere poſſet,
GEORGI, Tu vivus, fauſtus & Ille foret.
Quid non tam charo Capiti Libitina pepercit?
Quid fortes timidis miſcet iniqua Duces?
At Populi & Regum, ceu fors tulit, urna movetur,
Mors rapit Injuſtos, mors rapit una Pios.
Sed cur Te, GEORGI? Doleamus noſtra Britanni;
Mortuus es nobis, Tu Tibi vivus eris.
Exutus mortale petis novus hoſpes Olympum,
Quo ſceptra amiſſis ſplendidiora geres.
At Tu, Tu, GEORGI, ſuccedis amabilis hæres,
Triſtitiæ Populi qui medeare piæ.
Tam ſimiles natura dedit Tibi blandula dotes,
Ut dubium regnet Natus an Ipſe Pater.
Quid meliora videt viditve Britannia? Quiſnam
Nato major erit? Quis Patre major erat?
Quid valeas armis, GEORGI, teſtatur & hoſtis,
Quidve animo, Britonum clamat ubique Salus.
Pulchrane promittis? promittis magna Britannis?
Fidus promiſſis inveniere tuis.
Auſpice Te, GEORGI, nil non ſperare licebit;
Te Duce quem conſtat pluribus eſſe parem.
O utinam Deus hæc, hæc nobis propria faxit!
O utinam populo ſint rata vota Tuo!
Felix imperium longos Tibi compleat annos;
Det Tibi opes, ævum det Tibi dulce Deus.

Gaudeat illuſtri felix CAROLINA Marito,
Cum digna illuſtri ſit CAROLINA Viro.
Illa diù Mater Patriæ, Pater Ipſe voceris,
Et Vos æternæ Pacis oliva beet.
Splendorem veſtrum proles numeroſior ornet,
Ut creſcunt anni, creſcat & illa precor.
Sic tandem æthereas ſeri redeatis ad oras,
Hîc ſolum merces, quam meruiſtis, erit.

Nat. Bacon, A. B. Coll. Regin.
Unus è Modern. Hiſt. Scholar. Regiis.

Ad REGEM.

OPTIME Rex, olim multâ cum laude Paternis
Geſſiſti auſpiciis, nunc geré Sceptra Tuis.
Quid cives poſſit facere & ſervare beatos
Ex Te alii diſcant; Tu memor eſto Tui.
Auctor Parendi & Regnandi maxime; Veſtro
Exemplo Populus Pareat, Ipſe Regas.

W. Campbell, A. M. Coll. Regal. Soc.

GEORGIUS indomitus totum cum vicerat Orbem,
Dirigit a terris victor ad Aſtra viam.
Quà viget inter avos patrios regesque Britannos:
Pax comes huic Cælo, quam dedit antè ſolo.
Viciſti GEORGI:—Et vincet tua maxima Proles,
Si patriis regnis æmula Patris erit.
Eſt nunc: ſemper erit. Lætos procedere ſoles
Sub Nati auſpiciis quis neget? ire vides.
Sol idem emicuit; non GEORGIUS alter at idem
Nomine & ingenio Sceptra Britanna vibrat.
Quis meliorem optet? quis non ex pectore clamet,
"GEORGIUS *Angligenis*! GEORGIUS *Angligenis*!

Gulielmus Sloper, Coll. Trin.
Socio-Commenſalis.

LUCTUS ET GAUDIA.

UT faciles veherent tua Vela per Æquora Venti
Ad Terram, GEORGI, quò tuus egit Amor;
Quàm Prece ſollicitâ Divûm laſſavimus Aures?
Quæ non Ara fuit ſparſa Cruore pio?
Annuerunt noſtris (heu!) fruſtra Numina Votis,
Nec ſævit Boreas, nec tumet Unda minax;
Verùm imitata tuos placidè ſunt omnia Vultus,
Teque, Decus Britonum, Belgica Terra capit.
Sed quid erat prohibere Maris Ventique Furores,
O ſuperi! cum ipſo Littore Fata manent?
Ah Terram infidam! Tibi ſic commiſſa rependis?
Sic Genti noſtræ perfida ſemper eris?

Anglia mœſta, dole, lugubres indue Vultus,
"Infelix Habitum Temporis hujus habe;
Nè tamen immodico Luctu teneare, renidet
Ecce novus ſplendor! GEORGIUS ecce novus!

Ecce iterum Cornu veniet *Concordia* pleno,
Ramoque, & Peplo Tempora amicta ſacro;
Quam circum junctis Manibus lætantur *Amores*,
Dum *Muſæ* ad Citharam dulcia Verba canunt.

Sit tua Laus, HENRICE, *Roſas*, tua, *Regna*, JACOBE,
Atqui *Animos*, GEORGI, conſociare, tua eſt.

H. Scarfe, A. M. Aul. Pemb.

NEC ſemper fulget Phœbus, neque GEORGIUS; olim
Splendentem aſpexi lumine Utrumque pari.
Nunc video (heu!) ſimiles nimium Regemque Deumque;
Occaſus novit Phœbus Uterque ſuos.
Sed lugere nefas; Sol naſcitur Alter & Idem:
Sceptra Patris Soboles digna Parente tenet.
Ecce etiam Phœbeque nitens, Ignesque minores,
Qui Phœbi ſubeant, ſi cadat Ille, vices.

Hen. Coventrye, Coll. Magd.
Commenſalis.

ERGO peris, Britonum Tutela Paterque? quid ultra,
Quod majus poterat Mors rapuiſſe Bonum?
Cedere nunc primùm conſtantia Pectora nôrunt,
Nunc primùm lachrymas, Cauſa dolenda, rogas.
Quantula Spes, eheu! reſtat Mortalibus ægris,
Si non Semideos ſternere Fata timent!
Sed ceſſent lachrymæ. —Videor jam audire frequentem
Clamantem Populum, GEORGIUS, Euge, venit;
GEORGIUS, Euge, venit, canit undique Fama per Orbem,
Feſtivos referunt littora læta ſonos.
Salve, magna Salus; Morborum grata Medela;
Vive, ſub auſpiciis, Vive, Valeque, bonis;
Ergo age turbatos compone, Britannia, vultus,
Nubila qui potuit ſpargere ſolus, adeſt.
Jam, Fati ſortes penetrat ſi certus Apollo,
Nec fallunt doctas ſomnia vana Deas;
Te Duce felici ſurget Pax aurea Mundo,
Et dives lætas Copia fundet Opes;
Sponte ſuâ denſis flaveſcet campus ariſtis,
Vulnera nec cultri gleba benigna feret;
Libertas, Animis chariſſima Cura Britannis,
Eriget eximium conſpicienda caput;
Mitior hoſtiles junget Concordia Mentes,
Undique ſincerus dulcè vigebit Amor;
Candida ſimplicitas merito ſplendebit honore,
Et fama indignas nulla ſequetur Opes;
Invidiâ major Pietas aſſurget, ubique
Fervebit ſacrum Relligionis Opus;
Dum Princeps Populo, radiis ut Sidus amicis,
Ad Cælum oſtendet, quam petet Ipſe, Viam.

W. Knatchbull, Aul. Trin. Alumn.
Unus è Modern. Hiſt. Schol. Regiis.

CUM

LUCTUS ET GAUDIA.

CUM primum audieram ſubitâ de morte GEORGÎ,
(O quantus ſubitis Caſibus Horror ineſt!)
Ter Mens Officium, ter Lingua invita negârat,
Cum triſti erumpunt talia verba ſono.
Hannoviam quoties ibas, quotiesque redibas
Tutus, vota facit dum Tibi Terra duplex;
O qui complexus, quæ Gaudia pectora tangunt!
Cum venis Hannoveris, Angligenisque redis.
Hannoviam tangis? Te gaudet quiſque recepto;
Aſpectu exultat dum FREDERICUS Avi.
Brittannos repetis? rursùm Brittannia ſpirat,
Abſente emoritur, Te redeunte viget.
Nunc Regem antiquum Nobis ſpes nulla videndi,
Non ſpes eſt Regi viſere utroſque ſuos.
Fata obſtant, (Fata & Reges dominantur in ipſos,
Regibus & Populis Mors eademque venit)
Sed tandem Lacrymis communibus addite Finem,
Jam ſatis; ex ipſis Nubibus ecce Diem!
Ecce Diem! miro quæ Lumine fulget in Æthrâ,
Quâ triplici eſt natus GEORGIUS Imperio.
Tu Molem Imperii, Tu tantum, Magne, Laborem
Ferre vales, Regem Dignus es ipſe ſequi.
Nate, Patrem ſequeris, Britonum chariſſime Genti;
Tu ſuperes Patrem, ſi modò poſſe datur.
Vive precor! ſi non aliàs Hunc vincere poſſis,
Ætate atque Annis vincere poſſe datur.

Theophilus Ludovicus Barbauld,
Trin. Coll. Alumn.

Νὺξ ἤδη σκοτόεσσα σκιὰν ἐβάλλετο γαίῃ,
Καὶ γλυκερῷ ὕπνῳ διαλύετο γυῖα ἑκάστου,
Ὁππότε μοὶ θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος.
Ὡς ἄρ' ἔδοξεν ἐμοί· Κατέβην ἐπὶ πυθμένι πόντου,
Ἔνθα θεοὶ ποταμῶν τε καὶ πόντιοι ἡγεμόωνες
Ἐν βένθεσσιν ἁλὸς δῶμασιν Ἐννοσιγαίου.
Αὐτὸς δ' ἦν ἐν τοῖσι Ποσειδάων Ἐνοσίχθων,
Κυάνεαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἀνακτος,

Καὶ χερὶ δεξιτέρῃ βασιλεὺς μέγας εἶχε τείαιναν,
Στῆ δ' ἄρα, & μετέειπεν, ἔπος τ' ἔφαθ', ἔκ τ' ὀνόμαζε,
Εἰνάλιοί μευ κλῦτε θεοὶ, μεῦ κέκλυτε πάντες,
Νῆσῳ ἔπειτά τις ἐσὶ πολυκλύσῳ ἐνὶ πόντῳ,
Φίλταθοι εἰσὶν ἐμοὶ οἳ ταύτῃσι ναιετάουσιν
Ἄνδρες, & γοόωσι πολυκλήϊσον ἄνακτα,
Ὤι κῆ δεῖ ἡμᾶς ὑμνήσειν πένθιμον ᾠδὰν·
Αὐτὸς γὰρ Βασιλεὺς τέθνακε ΓΕΩΡΓΙΟΣ Ἀγλαῶν.
Ὅς πείν μὲν κῆ γαῖαν ἀθέσφατον, ἠδὲ θάλασσαν,
Πολλὰ μὲν αὐτὸς ἔρεξεν ἀοίδιμα, πολλὰ δ' ἄνωγεν·
Ἀρχαῖον κλεῖος κρατερῶν ἤυξησε Βρεταννῶν,
Νηυσίτ' Ἀγλιαχαῖς ἐδάμασσεν ἀπώτερα φῦλα,
Καὶ πολιῆς βασίλευε ἁλὸς ἐνιτοῖσι θαλάσσης.
Οὔτε μόνον πολεμεῖν εὖ οἶδε & ἴφι μάχεσθαι,
Οἶδε νόμους δὲ γεράφειν τε κῆ εἰρήνῃ θεραπεύειν,
Οἶδε θεμιστεύειν, κῆ δαίμονας οἶδε σέβεσθαι.
Ἀλλ' αὐτὸς τέθνακε. Διὸς τ' ἐτελείετο βυλή·
Οὐδὲ μῆν, ὐδὲ κλέος τόσσυ βασιλῆος ὀλεῖται,
Ἔσσεται Ἀνθρώποισιν ἀοίδιμος ἐσομένοισι·
Μοῖραν δ' ὔπνά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Ἐσθλὸν δ', ἠδὲ κακὸν θάνατος κῆ μοῖρα κιχάνει.

ΔΕΥΤΕΡΟΣ ἀλλὰ πάρεσιν ἀμύνων πένθιμον ἦμαρ,
Ὃς πρώτῳ ἴσος ξεραίνει δάκρυα λυγρά·
Εἰαεινοῖς ὅτω γαίην ὑετοῖσι δύγεσιν
Αἶψα ξεραίνει θερμὸν φάος ἠελίοιο.

Οὗτος ποιήσει Ἀγλαῶν γε τελεσόλβιον ἔθνος,
Καὶ δώσει εἶναι πάντων νικάτορας ἐχθρῶν,
Ὥσε κλέος τόδε ἵξειν ἐς πείρατα γαίης.
Ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἂν ποτε ὄρξηται περ Ἰδηὸς
Μὴ ἐρεθιζομένους Ἀγλοὺς θεράποντας Ἄρηος.

Μήτε σὺ, Κᾶμε, φόβει, σέο γὰρ πόλιν οὗτος ἀέξει·
Τῷ γὰρ τὴν ἀρετὴν καὶ Λατρείαν μελετῶντι
Αἰεὶ Μουσάων οἰκήματα καλὰ μελήσει.

Χαίρετε τοιούτῳ βασιλεῖ εὐδαίμονες Ἀγλοί·
Χαῖρε μάλ', ὦ Βασιλεῦ, σῷ μὰν πολὺ φίλτατε λαῷ,
Χαῖρε σὺ & Βασίλεια γυνὴ μεγάλοιο ἄνακτος.

Μὰψ

LUCTUS ET GAUDIA.

Μὰ ψῦν Ἄγνως ποιήσῃ Κεῖνος ἀνέδρας,
Ἴμμιν ἔρως λαῶν ἐῤῥωμμένον ἔστελλε ἔρκος.
Ἰμέτερόν τε τέκος μεταταῦτ' Ἀγλοῖσιν ἀνάξῃ,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

H. Hubbard, Aul. Cath. Alumnus.

IMMORTALE Decus Britonum deplangere raptum
Fert animus: Tu, Muſa, pios accende Furores,
Qualibus impulſus David mœrebat ademptum
Rectorem Solymæ! Quis enim Te Carmine digno
Scripſerit, O GEORGI, torto cùm Dextera ferro
Horrendùm intonuit, mediisque in millibus arſit!
O dum perſtringunt aures permiſta canoris
Cornua rauca Tubis, torvi Præludia belli,
Concitat En! Eadem quæ Regem, Flamma Poetam,
Quàm celebrare juvat partas de ſanguine Lauros!
Quàm domitos Turcas! En! decreſcentia Lunæ
Cornua Barbaricæ, quantóque Auguſtior effert
Gloria ſe GEORGÎ! Viden' ut jam Hungaria ſoli
Obſtupet Heroi totum concurrere Bellum!
Te mirans, Brunſvice, ibat tum mollior undis
Iſter! Ut audito tremulæ Clangore Tubarum
Procubuêre Urbes! Regnabat Fama per Orbem,
Armorumque tremor, dum gentis Sceptra Britannæ
Fata darent; Auri Tunc riſit purior Ætas,
Et Jani Martem luctantem clauſtra tenebant!
Divite quâm largos effudit Copia Cornu
Fructus! Alma dies populo quàm gratior ivit!
Quàm Soles meliùs nituerunt! Maxime Regum,
Hæ Tibi erant Artes, tumidos frœnare Tyrannos,
Europæ leges præſcribere, juſque tueri;
Gens maleſana licèt, pactorumque immemor, armis
Turbare infandis auſa eſt Saturnia regna.
Sed nihil audaci potuit Germania ferro
In Britonum Columen: nempe illius Armiger Ales
Fulminis agnovit Dominum, Qui fœdera juſſit
Firmari,—nutuque volens componitur Orbis!
Macte animo, GEORGI!—Verùm Quis cætera fando
Temperet à lachrymis, cùm jam Maturus Olympo
Spernit humum, & celeri ſe tollit ad Aſtra volatu!

Aſt Immortalis Terras non ante reliquit
Quàm Terris Requiem: dedit Ille noviſſima verba,
Ut miſſis coleret bellis Europa ſerenam
Pacem, dein placidâ compôſtus Pace quievit.
Sic viſum ſupero Regi, poſt icta per orbem
Fœdera, *Brunſvicum* requie, Cæloque beare,
Ne divinæ Auctor pacis committere poſſet
Humana; extinctam, populi, ne urgete querelis
Anglorum Lucem! Sol naſcitur Alter & Idem!

Salve progenies Regum! Tibi candidus ordo
Sæclorum aſſurget! Solium conſcende Paternum,
Par Meritis Patri: Tantùm dicêre *Secundus!*
Te neque Delicias Britonum, CAROLINA, tacebo;
Te Vis ſumma Boni, Formâque, Animoque, decorat!
Tu dignos Proavis Natos complexa, Maritum
Feciſti Patriæ, generosâ Prole, Parentem!
O Dux, imperii præſens Tutela Britanni,
Quàm Tibi præſentes licuit cognoſcere Divos,
Aldenardenſi dum fervens Marte, reſurgis
Proſtrato revolutus Equo, ſine Vulnere Victor!
Te prope, chare Deo, volitans innoxius horror
Oſtendit terris vellent Quem Fata tueri.
Sat Bellis, Orbique datum!——nunc cura Tuorum
Te ſubeat, dulces nec Pacis ſperne Triumphos!
Te quoties regni Numen vox publica dixit,
Tutandas ſimul ac Divorum acceperis Aras,
Servandosque Focos! Hæc dum veſtigia luſtras
Heroum, ſequerisque Patrem vel paſſibus æquis,
Aſpice, dant Muſæ calathis Tibi Lilia plenis,
Purpureo Tumulum ſpargentes flore Paternum!
Cùm Res ſuſtineas Anglorum, Moribus ornes,
O Nos dexter adi! Surgent Tibi noſtra *Theatra*
In Laudes, ſublime ferent quoque Nomen ad aſtra
Verticibus ſummis! Concedas, maxime Cæſar,
Auſpiciisque Tuis creſcant! Gens, plaude, Togata;
Alma Parens, lætare! Tuus jam regnat Apollo!
Te vario, GEORGI, cantant ſermone Camænæ:
Reſpexit Muſas Genitor, Nobisque recentes
Donavit Linguas, Linguâ dicendus in omni!
Te, Nate, externi celebrant diverſa ſonantes,
Concordi plauſu, Votumque effunditur unum,

LUCTUS ET GAUDIA.

Interſis populo, dum vivat Gloria Patris,
Pacatumque regas Virtutibus ILLIUS Orbem.

J. Hulſe, Coll. Div. Joh. Alumn.

ERGO, Britanni, *Cæſareum Caput*
Æternus Orci corripuit Sopor,
Et Regiis extinxit omnem
Longa Quies oculis vigorem?
Nec clara Virtus, nec Pietas moram
Paterna fatis attulit improbis,
Nec priſca Laurus, nec quod Idem
Pacis erat mediusque belli.
Linquenda Tellus ſcilicet omnibus,
Vocante Letho, ſeu Lare parvulo
Fallis, ſuperbâ ſive magnas
Inter opes dominaris Aulâ.
Quis luctuoſis ſit pudor aut modus,
Rapto, querelis, *Cæſare?* Præcipe
Lugubre Carmen; tuque tenta
Flebilibus numeris ſonantes
Thalia, chordas; nam tibi Jupiter
Dulci canoram cum citharâ dedit
Vocem benignus, quæque nomen
Cæſareum vetet interire.
Quid debeas, Brittannia, GEORGIO,
Teſtis, reviſens non ſine gaudio
Pax alma terras, *Fauſtitasque*
Exoriens placidè per Orbem.
Teſtes, repreſſi, fœderis Anglici
Ductu, furores *Auſtriacæ* domûs,
Hoſtemque conſpirantem *Iberus*
Compoſitis veneratus armis.
Fortes creantur fortibus, & bonis;
Prolemque dignam nobilitas Patrum
Honeſtat: O! Qui Sceptra, Princeps,
Imperii ſimul & paternæ
Virtutis Hæres, Anglica vendicas,
Regale, ſi non Parca Tibi favens,
Splendensque naſcendi dediſſet
Conditio, meriture Nomen;

Te totus ambit ſollicitâ prece
Votisque mundus, Te Dominum Æquoris
  Quicunque, ventis vela pandens,
    Navigat Oceano patenti.
Audire Plebem jam videor tuam
Unâ canentes voce GEORGIUM;
  Urbemque totam, nocte feſtâ,
    Ignibus innumeris nitentem.
O! digna tali conjuge, Gratiis,
Regina, fulgens omnibus, Anglicæ
  Inſigniorem tu Coronæ,
    Quam geris ipſa, dabis nitorem;
Cui ſceptra (tanti ſacra *Fides* fuit)
Mirum! vacabant illecebris ſuis,
  Nec forte pectus provolutum
    Ante pedes Diadema movit.
Diu Angliæ, O Par nobile Principum,
Adſitis, &, cum Fata vocaverint,
  Subinde natis glorietur
    Regibus Hannoviæ Propago;
Qualis tremendæ Perſephones Deæ
Fatalis Arbos, regna ſub Infera,
  Repullulanti frondet Auro
    Uſque, nitens ſimili metallo.

Tho. Broughton, A. B.
è Coll. Gonv. & Caii.

OMNIA nunc plorant, magnus dolor occupat Orbem;
  Amiſit Dominum Terra fretumque ſuum.
Omnia nunc rident, unde Hæc nova Gaudia ſurgunt!
  Invenit Dominum Terra fretumque Suum.
Vivit, adhuc vivit, donec nos vivimus, Unus
  GEORGIUS Ipſe ſuum penſat & Interitum.
Non nova Progenies Cælo demittitur alto,
  GEORGIUS en! Idem, qui fuit ante, manet.
Nam regit Hic charos patriis Virtutibus Anglos;
  Ut Genitor, Pacis natus amator adeſt;
Ut Genitor, Bellator adeſt: ſint horrida Bella,
  Noſtrum haud terrebunt horrida Bella ducem.

LUCTUS ET GAUDIA.

Omnibus eſt ſimilis, Præterquam Ætate, Parenti;
Hunc & ſera ætas, ſera ſenecta premat!
Amplius unum oro, cum implêrit Neſtoris ævum,
Ut FREDERICI ornent Sceptra paterna manum.
Regnaque ut Æterno Imperio nunc Unus & Alter
GEORGIACÂ è Divâ ſtirpe, Britanna regat.

Franciſcus Skipwith, Coll. SS. Trin.
Soc. Commenſalis. *Fulwar Skipwith*
Baronetti Filius natu Major.

ERGONE, cunjuncti modò quem metuere Tyranni,
Qui modò, Pax eſto, dixit, & Illa fuit;
Quo nihil Humano Generi felicius unquam
Aut dederint, aut ſunt Fata datura, perît?
Eia age, Brunſvicii plora, Brittannia, mortem;
Ecqua Tibi uberior cauſa doloris erat?
Tuque, O Muſa, pio fer dona noviſſima regi,
Atque has in tumuli marmore ſcribe notas:
Hic, triſte exemplum deberi maxima fato,
Auguſtus, tanti nominis Ille, jacet.

Heu! quorſum Lacrymæ? Brittannia, parce querelis;
Non Tibi, non ulli flectere fata datur.
Communi cecidit perfunctus ſorte VILELMUS,
Fatalem effugit ſancta nec ANNA diem.
Cedendum eſt! Superi præclarum Heroa requirunt;
Maturus Cælo GEORGIUS aſtra petit.

Qui tamen afflictis adſit, molemque ruentis
Imperii dexter fulciat, alter adeſt.
Cum Deus accedas Cælo Tu, Maxime GEORGI,
(Quem precor O! longè, Dii, removete diem)
Hic nati natorum & qui naſcentur ab illis
Auſpiciis paribus Sceptra paterna gerant.
Perpetuâ ſerie Generis qui damna rependant;
Dum GEORGÎ in terris ſemper imago manet.

Johannes Naylor, Coll. Regal. Alumn.

TE maris & terræ Dominam regnare ſub æquo
Cæſaris Imperio, & totum dare Jura per Orbem
Audierant GULIELMI (Invicta Britannia) Manes,
Talibus atque Heros Divorum arcana reſolvit:
O Patria! Oſtendam paucis tibi Fata tuorum,
Et quæ te fortuna manet. Felicia Regna!
Et populus felix! quid non ſperare licebit,
Dum vos defendit Germanus origine Princeps?
Hic vir, hic eſt, Cives, proprio qui numine veſtrum
Nomen in aſtra feret, Cujusque a Stirpe Nepotes
Omnia ſub pedibus vertique regique videbunt.
Hic, dum vita manet, Saturnia tempora vobis
Reſtituet, pacisque diù fundamina ponet.
Huic datur Imperium pelagi, Ratibusque ſuperbis
Iratas gentes, actosque in prælia Reges,
Hiſpanamque manum, totamque ſub arma coactam
Europam componet, & Omnia pace quieſcent.
Hunc Probitas, hunc priſca Fides, invictaque bello
Dextera, propoſitique tenax Conſtantia Rebus
Anguſtis, reddent Monumentum inſigne futuris
Civibus (Invidiæ poſtquam rabida Ora quiêrunt)
Dum Germana Domus tenet hoc immobile Regnum
Anglorum, & Virtutis Honos hâc gente manebit!
O! fortunati Cives! Si dura reſervant
Fata Virum, & nunquam crudelibus occubat umbris!
Aſt alitèr viſum eſt Superis! Hunc Ocior Aura
Tollet, & Oſtendent paucos hunc Fata per annos!
Immemor hic nimium fati, ſortisque futuræ,
Molitur ſibi Magna, viamque affectat Olympo:
Romani ingratum manet altâ mente repôſtum
Principis Auſpicium, ſpretique injuria Regni:
Et nuper violata fides, & fœdera rupta
Hunc agitant; altumque fovet ſub pectore Vulnus:
Talia flammato ſecum ſub Corde volutans,
Angliacos linquet fines, & littora viſet
Extera, ventorumque minas, fluctusque ſubibit
Impavidus, vires ultrà, ſortemque ſenectæ!
Quò Morituræ ruis? Majoraque viribus audes?
Nequicquam te Europa vocat ſuccurrere lapſis
Rebus, & exiguos Hominum curare labores;
Aſtra vocant; & magnus Opem jam poſcit Olympus.

Scilicet

Scilicet huic genti Te Cæli Regia, GEORGI,
Invidet, & nimiùm Superis hæc Inſula ſub te
Viſa potens!
O Patria! O gens innumeris exercita fatis!
Quis tam difficili Divus te cardine Rerum
Eriget afflictam, rerumque capeſſet habenas?
Ecce, Jovis ſummi auſpiciis, Spes altera Gentis
GEORGIUS exoritur! Regum fortiſſima Proles!
Et *Patris* ingentes animos in pectore verſans!
Salve, Magne Pater Patriæ, Genitoris adempti
Nobilis Effigies, Melioribus Utere fatis,
Quàm pater; hunc annis ſuperes, virtutibus æques,
Pacatumque regas factis ingentibus orbem!
Exquirunt alii terris Nova Regna remotis;
Et, quocunque modo devictas, addere gentes
Imperio gaudent: hic ardet, ut imperet Indis,
Illum agit in Perſas regnandi immenſa Cupido:
Cura Tibi eſt ſtabili imperio, & moderamine juſto
Conciliare animos populi, Tu Jura tueris,
Et latas Britonum famam diſtendis in oras.
Hæ Tibi erunt Artes GEORGÎ, ſine ſanguine pacem
Firmare, Europæ & diras componere lites.
Hinc Laudes, populique encomia ſera futuri
Accipies; hinc Ipſe vocaberis *Arbiter Orbis!*
Perge, Decus Patriæ, magnam tibi condere gentem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos;
More Patris ſummi: patriæ Virtutis Imago
Fulgeat ante oculos: Eadem Conſtantia Mentem,
Vis eadem divina regat! Sic Aurea condes
Secula jam rursùs nobis; Animamque Parentis
Defuncti Populus per Te regnare videbit.

Ad REGINAM.

O! Divâ, noſtram Quæ regis Inſulam,
Et quam Britannis invidet Auſtria.
Quam Jupiter tandem beavit
Gentibus his, Britonumque regno:
Terris ademptum deſine Cæſarem
Urgere ſemper flebilibus modis:
Sortitur Inſignes & Imos
Lex eadem miſeranda Fati!

Nec Te bonorum Vota, nec Angliæ
Servare poſſunt, nec Pietas tua:
Tu Cæſarem Cælo Receptum,
Serius, aut citius, ſequêris!
Non ſemper Agros, aut Mare Jupiter
Vexat procellis: Tu nimis Optimum
Ploras Parentem: Tu fatigas
Perpetuis animam Querelis!
Nil Majus (inquis) Cæſare Jupiter
Donavit Orbi: Non tamen occidit
Spes omnis & Sceptri futura
Gloria, Te imperium tenente:
Tu ſpem reducis mentibus anxiis:
Et das futuræ Pignora Gloriæ:
Tu, Prole præclarâ, Parentis
Damna potes reparare acerba.
Sensêre Cives, quid Tibi debeant:
Sensêre dudum, Magna quid Indoles
Poſſit WILHELMI, temperata
Matris ad arbitrium Sagacis!
Experta tandem *Cambria* ſentiet
(Regina) Qualis Progenies Tua;
Matura Quid ſpondet Britannis
Principis huc venientis Ætas!
Per Te Britannum Nomen ad Ultimas
Extendet Oras, Maxima Principum!
Tendentque Virtutes ad Ortum
Solis, ab Heſperio Cubili.
Te Gratiarum ſemper amabilis
Corona cingit, Te chorus Omnium
Virtutum; & inſectatur albo
Te *Pietas* redimita panno!
Te reſpuentem divitis Auſtriæ
Gemmas, & aurum (pectus ob integrum)
Miratur Orbis Chriſtianus,
Atque animum *Fidei* tenacem.
Ad Te recurrit Turba Fidelium
Oppreſſa Romæ viribus, & jugo;
Finire jam ſperant labores,
Auſpice Te, miſeri Poloni!
Omnes Patronam quærere Te volunt,
Doctis amicam, Præſidium Bonis;
Te dulce mœſtorum levamen
Sollicitâ prece Pauper ambit.

Quid

LUCTUS ET GAUDIA.

Quid multa? Cælo, & Gentibus exteris
Regnare magnum credidimus Jovem;
Precamur, ut ſemper reſervet
Teque Tuamque Domum Britannis!

Hopton Haynes, A. M. Aulæ Clarenſ. Soc.

Ad REGEM.

RESPICIAS, Rex alme, Tuæ ſuſpiria Grantæ,
Exanimata ſacros quæ cadit ante Pedes.
Sparſa Comas, Lachrymisque Genas perfuſa, gravesque
Conqueritur Fati victa Dolore Vices.
Quem Tu, quem Proceres, deflet quem Patria Patrem.
Abreptum Muſis deflet & illa Patrem.

Robert. Trefuſis, Aul. Pemb.
Commenſalis.

ILLUMNE tandem perpetuus Sopor
Urget? Severos undique præcipit
Phœboque germanisque Muſis
Melpomene queribunda Planctus.
Perſtringit aures murmure flebili
Phœbëus amnis, miſceat impigrè
Dum Granta mater luctuoſis
Carminibus ſocias Querelas.
" Heu! quàm ſevero laeta Negotio
" Deorum ad Ædes Mors citiùs vocat
" Regem, Patronum, Britonumque
" Grande Decus, Patriæque Patrem!
" Inauſpicatò Fœdera Principum
" Per ſæcla, GEÔRGI, nectere Legibus
" Intaminandis, (grande Munus!)
" Per mare, per ſcopulos petebas!
" Floreret ut Pax, priſtina Gloria
" Tuis ut Anglis ſtaret, & undique
" Salus maneret tuta, nuſquam
" Pro Patriâ timidus perire.

" Inviſa Tellus! quæ tibi creditum
" Britanniæ almum Præſidium negas
" Referre! — Sic Anglorum acerba
Fata piis Fidibus canenti
Vellebat aurem & ponere funebri
Modum loquelæ, jamque alacres magis
Ciere nervos gentis Anglæ
Ille ſacer Genius jubebat.
Fortes creantur fortibus & bonis;
En! qui paternis fulget Honoribus
De Stirpe Divûm! Quem per omnes
Uſque juvat celebrare Faſtos.
Menſis Deorum qui frueris, Jovem
Precare, Nato, ut quas tibi dempſerit,
Adponat Horas; pulluletque
Fronde pari nova Virga in annos.

Tho. Johnſon, A. B. Coll. Magd. Socius.

Cur ſævos iterum inſtituis, Libitina, triumphos?
Quare urges avidâ funera tanta manu?
Siccine feralis fatorum volvitur ordo?
Sic repetunt duras aſtra maligna vices?
Georgius en cecidit, valuit nec cura ſuorum,
Et rapuêre pias ventus & aura preces.
Heu! cecidit terræ decus & tutela Britannæ;
Sat famæ, nobis vixit at ille parum.
Solvitur in fletum populus; late ingruit horror;
Et procerum & plebis pectore cura ſedet.

At verò e tantis ſurgens nova ſtella tenebris
Dulce jubar vibrat, languida regna fovet.
Non toti occidimus, non deficit aureus alter,
Qui tenet imperio Sceptra Britanna pari.
Extinctum Patrem ſequitur non degener hæres,
Nuntiat & populis omina fauſta ſuis.
Inclyte Rex, ſalve, Tuque O Carolina, venuſtas
Cui formæ, inque oculis flamma decora nitet;
Tu, fautrix Britonum, Mater Chariſſima, Rege
Conſpirante, dabis lætius ire dies.

Gil. Walton. Coll. Eman. Alumn.

Ad

Ad REGINAM.

Si vacet, & tenui paulùm intermiſſa Camænæ
Indulgere ſinat pia Cura; Hæc, Optima Princeps,
Leniter accipias, Hæc, forſan inania, luctus
Sed quæ corde pio & fido Solatia cultu
Muſa dat, immenſo Defuncti accenſa dolore.
At Quis Te digné, Princeps Mitiſſime, poſſit
Dicere, Virtutes quisve æquiparare canendo?
Te dudum agnovit merito Gens læta labantis
Statorem Imperii, & pronos Tibi libera faſces
Submittens, gaudet placidis aſſueſcere Sceptris.
Te nulla à recto avertit maleſana Libido
Tramite, Non effræna Virûm Vis flectere, Te non
Seditio potuit; Quin Clavo affixus inhæres
Communique bono invigilans Patriæque Saluti,
Donec, pace Tuis partâ domitoque furentûm
Ardore, Hoc majus cum nil ſupereſſet agendum
Vitâ & laude ſatur, tandem ſtatione recêſti.
Terrarum Domini moveant feliciùs arma
Et Mavortis opus tentent, (quanquam & Tibi laurus
Turcica vel Juveni & Germanica tempora obumbrant)
Inſultent late terris atque omnia vaſtent
Cladibus, ut tandem Heroes Magnique vocentur;
Tu leni imperio Populos frænare volentes,
Conſulere in medium & componere bella memento,
Manſuramque Tuis præſtare in ſæcula Pacem,
Hæ tibi erunt artes, hæc ſit tua Gloria, GEORGI.
Hinc olim, (extinctis odiis Ventura Propago
Cum Angligenûm Reges virtutibus æſtimet æquis)
Primus Sceptriferos inter numerabere, Primus
Diceris merito, nec Regum auguſtius ullum
Clarius aut nomen quam GEORGIUS orbe vigebit:
Nam Patriæ dum carus honor, dum grata Britannis
Intemerata Fides, dum inſpirat pectora puræ
Libertatis amor, dum Civica Jura valebunt
Hæc accepta Tui referent Tibi dona Britanni
Nec meritis unquam venient oblivia tantis.
Tu tamen O! tantum ſolus lenire dolorem
Qui potis es, ſolus tantæ qui pondera Molis
Excipere, O Patris Salve non degener Hæres!

Illius æternùm vivet, Te Soſpite, Nomen.
Te quoque, Te rerum Decor & Spes, Optima Princeps,
Laus æterna manet, Te claram ad Sidera tollunt
Auſpiciis defenſa Tuis Pietasque, Fidesque;
Te mitem ingenio, Sexus, Doctrina, Voluntas
Effecere; Tibi quantas Gens Anglica grates
Debet, quæ vel ſera intenta in commoda, prolem
Educis, quali quondam Cornelia, curâ,
Progeniem Auguſtam!—Tuque, O ſpes altera Gentis,
Tu, FREDERICE, veni; Viden' ut Te plauſibus ultro
Excipere atque ſuum geſtit Gens læta vocare?
En GULIELMUM etiam ut ſequitur ferè paſſibus æquis!
Qui Maturus adhuc Virtutibus impiger annos
Prægreditur, Juvenisque Patrem jam ſpirat & omni
Corde capit, vel nunc Belli Proludia tentans.
His ducibus quantum lætabitur Anglia, quali
Et quanto ſe mox ſublimem attollet honore?
Sic olim Anchiſes Lethæi ad Fluminis undas
Progeniem oſtendens, Natos longo ordine luſtrat,
Qui mox Romanum tollant ad Sidera Nomen,
Auguſtum & Magnâ Auguſti de Stirpe Creatos.

Geor. Hen. Rooke, A. B.
Coll. Chriſti Socius.

Ad REGEM.

DUM poſito exultat per Te, Rex Maxime, Luctu,
Et celebrat Laudes Anglia Tota Tuas;
Quæ Thura ardentes Granta apportabit ad Aras?
Quid Nos, Regali Nomine nota Domus?
O ſi ſopitas dudùm exercere Camænas,
Si mihi fas eſſet Cæſare digna loqui!
Culpantur fruſtra Calami, poſt longa reſumpti
Otia. Non eadem eſt Mens, eademve Dies.
Accipe ſed placido, GEORGI, hæc munuſcula vultu,
Accipe, quæ incompto Carmine Vota fluunt.
Sis Felix! numeresque novis Succeſſibus Annos!
Dulce Decus Populi Præſidiumque Tui.
Dum Tibi Præſentem Pacem, Regesque Futuros
Debemus; dum Nos, Sêclaque ſera Beas;

Non

Non Opis eſt noſtræ Grates perſolvere dignas:
Te Tua Progenies, Te CAROLINA Beet!
Te longùm agnoſcant Britones Regemque Patremque!
Patronum agnoſcant Granta Sororque ſuum!
Talibus Auſpiciis HENRICI Mœnia Surgant!
Regali O Semper Stet Domus Illa Manu!

In GEORGIUM AUGUSTUM.

AUGUSTUS rexit Romanos, GEORGIUS Anglos,
Temporibus Princeps Clarus Uterque Suis.
O Nos Felices! Quicquid fuit Ille, vel Ille,
GEORGIUS AUGUSTO junctus Id Unus erit.

Ben. Archer, A. M. Coll. Regal. Soc.

Ad REGEM.

GEORGI, divino Stirps non indigna Parente,
Te Britones, Te Dii, Sceptra ad avita vocant.
Adſis, Grate, Tuis! nobis ægrum exime Luctum,
Nititur in Te jam publica Rege ſalus.
Quod regnes minus eſt, quam quod regnare mereris,
Fœlix illuſtri Conjuge, Prole, Domo.
Norma Tibi Imperii Pater eſt; veſtigia duxit
Quo magnus Genitor prævia, flecte gradum.
Hoc Duce jam poſitis Mavors deſæviit Armis,
Sperata & tandem eſt Gentibus alta Quies.
Sarmata jamque ferox exoptat, & Auſtria Pacem;
Longaque miteſcit Bella peroſus Iber.
Te Paci at ſervant Superi, Tibi Pacis Honores
Debentur, cæptum perfice Patris Opus.

Tho. Johnſon, Trin. Coll. Alumn.

RESPICIT extinctum ſi mœſta Britannia Regem,
Cum Rege exoptat ſe quoque poſſe mori.
Si ſpectat Gnatum populo ſua jura ferentem,
Cum Gnato æternùm vivere poſſe rogat.
Felix; nam facilem dabitur ſperare ſalutem,
Hoc Duce ſeu vivat, ſeu moriatur Eo.

Rob. Tilſon, A. B. Aul. Pemb.

REGINA, dignum, Melpomene, melos
Concede; mutis, ſi libeat, potens
Vel piſcibus donare vocem
A patre quam liquidam tuliſti.
At Ira Divûm quid potuit magis?
Quam ne rubentem contineat manum
Vindexque fulmen, jamdiu ævi
Heu! vetuit ſcelus, ac parentum;
En! ergo ſonti præpes ut imminet
Genti, ruinæ quidlibet impotens
Expromere, atqui non diu hæret
Quà grave quàque patens minetur
Vulnus; nefaſto Te, optime principum,
Simulque noſtrum præſidium ac decus
Proſtravit ictu; Te! dederunt
Quo melius, ſimile, aut ſecundum,
Nil Fata terris. Flebilis omnibus
Perît, nec ulli flebilior tamen
Caeſar perîſſet, Mater Alma,
Quam Tibi, ſic viduata rege
Eoque ſponſo; ni proprio ſibi
Pioque luctu numen iniquius
Rite increparet NATUS, aſtra
Ad ſua quod rapuit repente
Dulcem parentem. Quin medio memor
Luctu ſuorum, poſſe pati negat
Illuſtris heros res jacere
Angliacas, penitusque frangi;
Simulque cladi ſe oppoſuit ſtatim,
Sacrâ capeſſens (quæ bonitas!) manu
Sparſas habenas, & paterna
Sceptra gerens animumque patris.
Lugere jam abſit; jam lachrymæ procul;
Non Cæſar alter deficit aureus
Majorque, ſi fas eſt, vel ipſo
Patre, minor ſuperisque ſolis
Horum quod æquus regnat habens vices
Latum per orbem: curet Iberiæ
Demens quis auſum? quis Jacobi?
Quodve parant Aquilæ quis ultra

Inane fulmen? quin aderit dies,
Creſsâque dignus jamjam aderit notâ,
  Quo Cæſaris numen fatentes
    Compoſitis venerentur armis:
Quo quiſque tutus collibus in ſuis,
Et vina libans, "O melius nitens
  " Sol, O redux Aſtræa, Cæſar,
    Te duce, Te potiente rerum,
Canet; nec ultra quid rogitet Deos,
Longum quod adſit quin ſibi GEORGIUS,
  Tutela præſens; quod ſuperne
    GEORGIUS auſpiciis faveret.

Sam. Pegge, A. B.
Coll. Div. Joh. Evang. Soc.

GEORGIO fortes duce nec Britannos
Prælium vexat, Tyriæ nec artes:
GEORGIUM duxit veluti ſagacem
Pallas Ulyſſem.
Quem Patrem nôrunt facilem Camœnæ,
Quem Deum geſtit memorare Granta,
Nulla, quæ poſſit celebrare laudes,
Muſa ſilebit.
GEORGIUS famæ ſatur & dierum
Morte procumbit, velut icta Quercus,
Quæ diù Princeps nemorum ſtetiſſet,
Sternitur ingens.
Perditum quærunt miſeri Britanni,
Proximum ſpectant tamen advolantes:
Regnat, & Genti ſua jura ſervat
GEORGIUS alter.
Quæ dies Virgo metuit futuros,
Mœſta ſic matrem fugit & ſorores,
Quum tamen lætè ſequitur fidelem
Nupta maritum.

Kenricus Preſcot, A. M.
Aul. Cath. Socius.

QUO labra vates flumine proluens
Fatum GEORGÎ, Teque, Britannia,
Non indecore ſordidatam
Carminibus celebrare ſumet?
Quin, O, canenti præcipe lugubres
Regina, Vati, Melpomene, modos!
Tu Sola, Tu luctum perita
Dulciſono moderare plectro!
Ergo Anglicanæ dura Neceſſitas
Gentis, GEORGI, te decus obruit:
Te Chriſtiani lumen Orbis,
Te fidei columenque puræ!
Reddas! tibi olim non ita creditum
Gens noſtra quærit, Belgia, GEORGIUM!
Reddas! quid ingentes moraris
Angligenûm cohibere fletus!
Dilecta nobis ſic redeat Fides,
Et ſacra vultum Juſtitia erigat,
Et Veritas fuco remoto,
Relligioque rogi ſuperſtes!
O Dura Sors! nec te Pietas tua,
Princeps, reducet, nec lacrymæ moram
Fato imminenti tardiorem
Afferet, indomitæque Morti!
Quid debeas, O Patria, GEORGIO,
Demerſa Claſſis teſtis Iberiæ,
Cum fracta virtus, Vindicemque
Nominis Imperiique vidit
Te, Magne Torringtone, Britannici
Hiſpanus atrox: Occidit, Occidit
Spes omnis hâc pugnâ Jacobi,
Pontificum, Dominæque Romæ!
Rurſusque Gibralteria Milite
Obſeſſa crebro: nunc tamen invidæ
Secura flammæ, GEÔRGIANA
Quid valeat pia Cura, Teſtis!
Teſtes Honorum SUEDICUS appetens,
Volgæque Potor Barbarus: hic novâ
Tum Claſſe formidandus, acer
Ille animo, patiensque Belli!

Quin

LUCTUS ET GAUDIA.

Quin & ſupremum grata Britannia
Agnoſce munus: grata GEORGIUM
  Virtutis Hæredem Paternæ
    Compoſitis venerare rixis:
Quem mox benigno numine publicas
Res ordinantem Jupiter Optimus
  Defendat, & Curæ ſagaces
    Expediant per acuta Regni.

Carolus Poultney, Aul. Clar. Alumn.

FASTUM & nefaſtum conſpicimus Diem:
  Miſcetur ingens lætitiæ dolor:
Et Hora felix, flebilisque
  Perniciem tulit, & ſalutem.
En! Ille noſtræ gentis & Anglici
Tutela Sceptri GEORGIUS occidit,
  Cui ſæc'la non videre Regem
    Præterita aut ſimilem, aut ſecundum.
Quid debeas, O Patria, GEORGIO
Ferocientis vana ſuperbia
  Teſtatur Hiſpani retuſa
    Auſpicio meliore Regis.—
At O! Superſtes, Dux bone, patrios
Sequare greſſus, & ſimili regas
  Virtute cives, nec ſecundus
    Juſtitiâ, pietate, & armis,
Si ſis ſecundus nomine, GEORGIO;
Repende gentis damna Britannicæ,
  Veſtigiisque infige plantas
    In patriis aliusque & Idem:
Sic prole regnes lætus amabili,
Fauſtisque ſurgat ſub penetralibus
  Jülus Anglorum, ſequentis
    Auſpicium FREDERICUS ævi.

Radul. Thickneſſe, Coll. Regal. Alumn.

INVICTUM GEORGÎ robur, Martemque ſecundum,
Qualis in hoſte fuit, quam formidandus in armis,
Deſcribant alii, quorum ferventia multo
Corda tument Phœbo; ſtupet his in laudibus infans
Muſa mea, & metuit tantos aſſurgere in auſus.
Deſcribant digne, quo luctu percita ademtum
ALMA ſuum Phœbum MATER dolet, Anglia regem.
Sat mihi ſi ſimilem Tibi gratuler, Anglia, regem,
Si ſimilem Phœbum, MATER, Tibi gratuler, ALMA;
Sic ubi confectus ſenio Titanius ales
Inter flagrantes expirat turis odores
Emicat ex cinere alter avis, nitidusque juventâ
Arduus ad ſolem tendit, circumvolat agmen
Alituum, & læto regem clangore ſalutat.

Ric. Bagſhaw, Coll. Divi Joh. Evang.
Soc. Commenſalis.

AH! Miſera, ſolo quæ ſedens in littore
Paſſis comis, Britannia
Sic lugubrem eſt exorſa voce Næniam:
Rectoris orba heu! quo ferar?
Per Saxa quis reget Gubernator Ratem?
Ex quo meum mihi abſtulit,
Nihil timenti, inopina vis GEORGIUM?
Atqui modo actis maximâ
Celebritate Regiis Natalibus,
Quos non ab Oris gratiâ
Plus quam uſitatâ, ac non ſenili corporis
Habitudine, ultra Neſtoris
Ævum, affluentes mihi Dies promiſeram?
Certe Senectam firmam Ego
Contra Maris, contra Viarum injurias,
Experta toties, credidi;
Heu! Firmitati freta plus ſatis tuæ!
Heu! frete Tu quoque plus ſatis!
Hoc, Hoc erat quod exteras gentes petens,
Inanis Umbra occurreres?
Certe minus valuiſſet in Te, ſi Domi
Fatum irruiſſet; Tot mei

Pro

Pro Capite caro Precibus ac ſuſpiriis
Britones fatigaſſent Deos;
Ut Ipſa, ſi fas, lacrimis Neceſſitas
Ceſſiſſet expugnabilis.
Hoc reſtat unum, ſi quid id ſolatii eſt,
Vigebit uſque Memoria; &
Meliore ſemper parte vives integer.
Si Bellicis Virtutibus
Laudari ames; Quid Marte poſſis; Fulmine
Quo ſterneres Hoſtem, agmina
Satis docebunt Poſteros Mahomedica,
Disjecta clade non levi;
Budæque Turres, non niſi a tantâ Manu
Superabiles. At Tu, licet
Nulli ſecundus Bellicis geſtis, tamen
Potiore Pacis Munia
Studio excolebas; & perennem Laudibus
Baſin locaſti, dum ſedes
Vultu ſereno, æquabili librans manu
Suſpenſa lance Gentium
Fata, Univerſæ Magnus Europæ Arbiter.
Sit Proprium Tibi Hoc Decus;
Ictu ſine ullo contudiſſe Principum
Male fœderatorum impetus
Inauſpicatos. Cantabri irritas minas
Ventis dediſſe, & Æquori,
Non bene relictis Gadibus: Molimine
Vaſto apparatas ad Nihil
Tandem exequendum, Ruſſianas portubus
Tenuiſſe concluſas Rates:
Quin & reciſis Auſtriæ pennis Domûs
Regem, arrogantem plus ſatis,
Docuiſſe, clauſum Limites intra ſuos
Accipere Leges, non dare:
Sic Mutuæ diſſentientes Principes
Ligâſſe Pacis vinculo.
Hæ Tibi regendi artes erant: Britanniæ
Per has Decusque & Gloria
Viresque creverunt: & Imperî Ultimos
Porrecta in Orbis Terminos
Immobilis ſtat Dignitas. His artibus
Non modo Paterni Nominis,

Sed Consilî & Virtutis Hæres, passibus
GEORGIUM solus sequi
Qui valeat æquis, atque iisdem insistere,
GEORGIUS, luctum vetat,
Jubetque Soles ire, ut ante, Candidos.
O! facere pergat, ut facit:
Longumque lis sit, an Sui Regem magis
An Rex Suos salvos velit.

Rob. Bland, Coll. Regal. Alumn.

ANGLIA dum sequitur votis secura profectum,
Atque reversurum sperat, ut ante, Patrem;
Dum charum commendat onus Pelagoque Notisque,
Ac jubet, ut servent Pontus & Aura fidem,
Pontus & Aura fidem servant, quos ante timebat;
A quâ non timuit vulnera parte, tulit.
Occidis heu! correpte gravi, Pater optime, morbo,
Dum longè a Populo flebile carpis iter!
Jamque ignota manus morientis comprimit ora,
Quique oculos claudat vix Tibi Frater adest.
Debuit hoc saltem, tristis licet, Anglia munus
Solvere, & extremum dicere mœsta Vale.
Mœsta tuam tamen usque vicem, Rex inclyte, flebit;
Nec poterit tantis par dolor esse malis.
Nos verò ante omnes florens Te Principe pubes,
Nos, mala dum tangunt Publica, Nostra movent.
Qualem infelices Patronum amittimus, Artes
Quæ nunc prostratas eriget alma manus?
Tu scire Annales, dederas Tu discere linguas,
Quem nulli Annales, lingua nec ulla tacet.
O mihi, qui mallem vivi cantare Triumphos,
Quàm dolet hæc cineri munera ferre Tuo!
At sic cantarem, sed laudum mole tuarum
Oppressa ingenti Musa stupore silet:
Quis dicat stabili junctas Tibi fœdere gentes,
Imperium Oceano quis sine fine datum?
Jam toto exercent Britones commercia Mundo
Advectantque suis navibus Orbis opes.
Littora jam radunt quà Sol surgitve caditve,
Quæque igne ardescunt, frigore quæque rigent.

Apparent,

LUCTUS ET GAUDIA.

Apparent, Princeps, niveis Tua Claſſica velis?
  Bella ſilent; & Mars cedit acerba fremens;
Pax iterum Maria ac Terras optata reviſit,
  Et mœrens repetit noctis opaca furor;
Hoc tandem cumulo ſublimis ad ardua Famæ
  Surgis ovans, nec quò progrediaris, habes:
Hinc victi Te ceperunt faſtidia Mundi,
  Materies curis defuit apta Tuis:
Vixiſſes; ſi quid ſupereſſet Vindice dignum,
  Cùm nihil ulterius reſtet, ad aſtra volas.
Præmaturi obitus! ſeri licet; uſque ſenectæ
  Flenda Tuæ brevitas, morsque citata nimis.
Seu fata averſa, ac noſtris nimiùm invida rebus
  Te tantum immeritis abripuêre Bonum;
Seu ſponte in Cælos ibas; ut munera Pacis
  Quæ dederas Princeps, jam tueare Deus;
Quicquid erat, vel fata Deûm, tuave, Inclyte, vota,
  Heu! Tua vota queror, fata & acerba Deûm
Quò feror inſanus? Superest virtutibus Alter
  Et Patriis ingens, major & ipſe ſuis:
Qui dudùm Auſpiciis fecit præludia lætis,
  Et quibus Auſpiciis duxerat antè, Reget.

Iſ. Hawkins, A. B. Coll. SS. Trinitatis. Alumn.

Unus è Modern. Hiſt. Schol. Regiis.

STELLANTE Qualem mittit ab æthere,
  Illuſtriorem cum Deus Angelum,
Gens omnis oblectata Formam
  Ætheream videt obſtupetque:
At Ille Cælos impatiens Suos
Adire, terras deſerit ocyus,
  Sacrâque Majeſtate cinctus
  Cæruleas properat per auras.
Sic obſtupebat Terra GEORGIUM
Britanna; at Ille hinc ah! properans nimis,
  Sedes reviſebat Piorum
  Sidereis agitatus alis.

Vos O! Camœnæ dicite GEORGIUM
Non uſitato Carmine, Qui decus
Virtutibus non uſitatis
Egregium Sibi vendicavit.
Hunc omne Mundi pertimuit latus
Bellum minantem; Quà riget horridis
Tellus pruinis, Quáque Phœbus
Immodicos jaculatur ignes.
Cum Sævientis nuper inhorruit
Procella Belli, Qualis ad Ultimas
Quantusque Gades fulminavit
Sanguineis metuendus armis?
Ille, Ille ſeptem regna trionibus
Subjecta, claſſis fulmine, terruit;
Ille arma nequicquam minantes
Ruſſiacas tremefecit oras.
At ah! Coronam Vertice Lauream
Detraxit Orci dura Neceſſitas;
Centumque contriſtans Triumphos
Funereo poſuit Sepulchro.
Sed abſit ater funeribus dolor
Luctusque turpes & Querimoniæ,
Vulgaris hæc usûs, Piorum
Dedecorant monumenta Regum.
En! geſtat Alter ſceptra GEORGIUS!
Io! per urbes gaudeat Albion!
Ille, inſtar Atlantis, ruinam
Angliaci reparabit orbis.
Sic cum coruſcum Phœbus aquis caput
Curſu peracto condidit æquoris,
Mox luce gratâ illuſtrat orbem
Exoriens, aliusque, & Idem.
Vos Teſtor, Agri & flumina Flandriæ,
Ut fluxit amnis ſanguine decolor!
Ut torſit haſtam! Quo fugavit
Fulmine Bourbonidum Phalangas.
Ferocientem jam video Ducem
Non indecoro pulvere ſordidum,
Ut enſe diſtricto fugaces
Terret equos, Equitumque vultus!
Ah parce, tandem parce caput Sacrum
(Dum turbo circum plumbeus intonat)

Periculo objectare Martis!
Parce Tibi, atque Tuis Britannis!
Io! Britanni! Lætitiæ ſonus
Invadit aures! Incolumis redit,
Et Victor æternos honores
Flandriaco peperit Triumpho.
Vos, Quæ dediſtis, Numina, ſoſpitem
Bellare, longùm Vos date ſoſpitem
In Pace regnare, & Britannas
Imperio cohibere Terras.

H. Layman, e Gonv. & Caii.
Coll. Alumnus.

QUIN morte victus tandem inexorabili,
Et nemini, quicunque ſit mortalium,
Parcente Fato abreptus (heu! rerum levem
Nimiumque frangi lubricam compaginem!)
Cecidit ruinâ GEORGIUS Britanniæ
Multùm gemendâ; nec adeo levis eſt Dolor,
Ut parciori mulceatur Lacrymâ.
Fletuque neſcit mitigandus exprimi;
Ut igne tacti rapidiore fulminis
Taciti ſtupemus, & tremendi præpetem
Miramur ictûs, quo ferimur, impetum.
Communis ergo te rapit, quæ cæteros
Commiſcet omnes, ſortis inclementia?
Operoſa Cæli nulla Te miracula
Raptum tulêre? Nulla Te prænuncia
Mortis futuræ ſigna cecinerunt mori?
At, at viros, quos ſpectat æquus Jupiter,
At Principes ad exitum deducier
Non decuit ictu ſimplici, nec Funere
Cecidiſſe non pulcherrimo: Tibi Gloriam,
Quæ Famula vivo fida ſemper aſtitit,
Multâque poſuit Luce te ſpectabilem,
Quæ, cùm Catervas Hoſtium te Hungaria
Diruere ferro vidit impigerrimum,
Reduxit almâ geſtientem adoreâ,
Non defuiſſe jam cadenti oportuit.
Te mœſta ſaltem debuit Britannia

 Cepiſſe

Cepiſſe gremio, & morte jam natantia
Pietate inani condidiſſe Lumina:
Sed Fata prohibent heu! nimis crudelia,
Et nos beatos eſſe credunt plus ſatis,
Quod antè Te non invida interceperint,
Aliumque liquerint benigna GEORGIUM.
Quin ergo quoniam ſic volet Neceſſitas
Non Fata lenis cuipiam recludere;
Haud indecora Lætitia frontem explicet,
Luctumque quod ſeveriorem leniat,
(Cùm adhuc ſuperſit dulcis expectatio)
Animo ampliori indulgeatur gaudio:
Non moritur omnis quippe noſter GEORGIUS,
At Filio vivit, & adhuc propagine
Præſente præſens reſpicit Britanniam.
Sic cùm Sabæum jam ſenectâ languidum
Extinxit ætas alitem diùturnior,
Rogo ſuperſtes ipſe ſuccedit ſibi
Reparabilis, flammisque parturientibus
Idemque & alius e parente naſcitur.
At O! Deorum ſi quis eſt amicior
Votis Britannûm, propria ſint hæc munera,
Quibus beati fruimur in præſentiâ,
Nec poſſit, olim ſi quis importunior
Felicitati caſus interceſſerit,
Diu manere, & integrare Vulnera.
O! quà refulgens Cynthius habitabiles
Illuſtrat oras, Principum clariſſime,
Sceptro potentem, regiâque jam tuâ
Miratur Anglia te decorum Purpurâ,
Inſigniorem te colit virtutibus
Nihilque non expectat. O ſpes optima,
Columenque Gentis, ad Deos & ad Patrem
Serus revertens lætus adſis omnibus,
Diuque noſtræ, quam potes mortalium
Unus tueri, ſis ſalutis arbiter;
Atlante functo ſcilicet laboribus,
Jam Cura Regum, orbisque Pondus non leve
In Te Britannicum recumbit Herculem.

Rich. Dongworth, A. B. Coll. Magd.

HI, quibus arridēnt Phœbus facilesque Camænæ,
Et quorum Ingenium pollet mirabile cantu,
Æternis plorent numeris Tua Fata, GEORGI.
Flere jubet Pietas, prohibet Virtusque tacere.
Sic proprio possim Communem explere Dolorem,
Vel numerosa Tuæ consoler pectora Prolis.
Heu! Quôm mœsta ferens nostras accessit ad oras
Nuncius exanimis, Tunc cum Gens fœdere facto,
Speque incepturæ ridebant omnia Pacis,
Dira relaturus mœstissimus advenit Hospes.
Talibus auditis quos non invaserat Horror!
Vires defecere; ægro Mens pectore nulla;
Discrucians variè subitò Stupor ore Virorum
Insedit, tenuere solo sua lumina fixa,
Singultus, Gemitusque statim per lata viarum
Effusi, pariter totâ defletur in Urbe.
Quantùm mutata est facies pulcherrima Rerum!
Spes ubi vana hominum & Pacis redeuntis Imago!
Pax deserta timet, gemit indefensa Fidesque
Sed longe ante alios fundit Tua Granta dolores,
Ingenii O Columen, Musarum Maxime Fautor!
Namque tuo Musæ jamjam viguere favore,
Auspiciisque tuis effulsit Docta Juventus.
Grande Decus Sociumque suum flet Turba Bonorum,
Gens Regem, Patria atque Patrem, Miserique Patronum!
Tam facilè & Reges pereunt, terrasque relinquunt!
Heu Virtus & Amor Populi! Neque Major in Armis
Alter vel Fælicior! Hæc Bona visa Britannis
Magna nimis, aliasque super Nos tollere Gentes!
Sic placitum est Superis.— At Tu Qui Solus habenas
Dirigis Imperii, & nutu Tria Regna gubernas,
Cui submissa gerunt vexilla per Æquora Classes,
Successor Patris O vere & Virtutibus Hæres!
Assurge & Populo miserans attende vocanti.
Ne luctu indulge nimium, Gratissime Divis!
Nam bene sat quantum Pietas tua novimus urget,
O Nate, & quantum debetur Manibus illis!
Sed quid opus lachrymis? fugit irrevocabilis Umbra
(Nec retinent questus) sedes Visura supernas
Heroes Socios & cum Jove jungere Dextram;
Placantur Manes. Populo sit cætera Vita.

Publica Cura vocat, Te tota Britannia poſcit.
Aſpice lætantes (mutantur ut omnia) vultus!
Quam mitis Cæli facies! Puriſſimus Æther!
Nox tenebroſa fugit, fugiunt Nubesque repulſæ,
Luna minor cedit, pleno Sol emicat Orbe,
Phœbe, breves Nebulas Major vincendo refulges!
Ferrea ceſsârunt, jam pergunt Aurea Sec'la.
Pax cùm Juſtitiâ toto regnabit in Orbe:
Læta Dies aderit; Portas jam claudite Jani.
Nec Tu Bella geres, at ſi fera Bella gerentur,
Victor adornabis Spoliis mox templa Quirini!
Ergo age, Nate, Tuis Meritos jam ſuſcipe honores,
Jam confeſſa Tuum fumant Altaria Numen,
Jamque Tuo Populus perſolvit Nomine Vota,
Fælix Auſpiciis, ingentibus utere Fatis!
Fallor an & cæptis famam ſuperabis Avorum,
Jura dabis melius, plures ducesque triumphos,
Conſiliis & Pace Potens, & Maximus Armis!
Quare age, Cura Deûm, pulchros aſſume labores,
Tu regito, & Quid non facient Te Rege Britanni!

Georgius Lewis, A. M. Coll. Jeſ.

QUALIS occurrit nova lux ocellis?
Quis Vir effulget niveus videri?
Quis Deus! cujus nitidum reflectit
Lumen imago?
Fronte ſplendentes imitatus ignes,
Luce candentes humeros amictus,
Ipſe Rex, Sceptri radiis notandus,
GEORGIUS aſtat.
Quid fit? en! Cælum obruitur quiete,
Concidunt Venti fugiuntque Nubes!
At fave linguâ; ſonus inde noſtras
Percutit Aures.
" Quid meam vanis precibus fatigas,
" Chara Gens, Umbram; lacrymisque noſtros
" Quæris heu! fruſtrà cineres, carensque
" Corpore nomen?
" Plaude, Gens felix, age mitte curas;
" Sat querelarùm datur, O inanes

" Mitte

" Mitte ſingultus, placidâque mutes
" Pace tumultus!
" Me Pater Divûm numero beatorum
" Intulit, ſceptrumque dedit perenne,
" Quod nec hoſtilis rabies, nec ulla
" Diminuet Vis.
" Hinc, Ego Cælo fruítus, Britannis
" Deſuper fundam bona; Filiique
" Proſperans regnum, populos ab omni
" Parte beabo.
" Filius, quodcunque datur ferendum,
" Ibit inſignem repetens honorem;
" Ibit, & terras ſua per remotas
" Nomina ſparget.
" Parthus Hunc certo metuendus Arcu,
" Hunc feræ agnoſcent Nomadum cohortes,
" Ipſe jam reſponſa petet, ſuperbus
" Nuper, Iberus.
" Hunc nec hoſtilis populi Catervæ,
" Nec dolus turbet; procul Hoc tumultus
" Sævient omnes, & hiulca rauci
" Machina belli.
" Condito mitis placidusque ferro,
" Gentium ponet ſine cæde lites,
" Dum ſuo paſſim populo miniſtrat
" Jura volenti.
" Claudit en! portas bifores ahenis
" Vectibus Janus pater: Ipſe Mavors
" Cedit; & Pallas clypeo virentem
" Mutat Olivam.
" Jam Fides, Virtusque, & Honor, Pudorque
" Audet inſontes aperire vultus:
" Concolor Vero Dolus & Cupido
" Exulat Orbe.
" Terra flaventes decorata campos
" Fluctuat latè; ſua dona Bacchus
" Prodigus fundit; tumet omne ſuavi
" Nectare flumen.
" Pace lætantur juga, Pace rident
" Horridi Saltus viridesque Silvæ;
" Conſcio lætam fera gratulatur
" Murmure Pacem.

" Filius pacem dabit, & quietem:
" Ut gregem Paſtor, populos ab omni
" Proteget damno, facietque Lætos
" Volvere menſes.
" Sic diu fœlix placidusque terris
" Imperans, ſedes patrias reviſet;
" Et novos mecum ſuper Aſtra vectus
" Carpet honores.

Gul. Bunbury, Aul. Cath. Alumn.
Hen. Bunbury, Baronet. Filius Natu Sec.

Cum primùm amiſſo perculſa Britannia Rege eſt,
Attonitæ ſedit ſimilis, tacitoque dolori
Indulgens, ægros preſſit ſub pectore queſtus:
Mœrori tandem placidum lenimen, obortæ
Invenere viam lachrymæ, ſimul haſce dedere
Singultus inter crebros, planctusque, querelas.
O mihi juncta fide, tellus Hanoveria, iiſdem
Sacris cognata, & Sceptro, communeque mecum
Quæ luges damnum, cur nos Terrâque, Marique
Diviſæ uſque adeo fuimus? Cur cætera junctas
Nos non junxerunt pariter contermina regna;
Ut poſſet breviore viâ, & propiore receſſu
Natale Imperium, patriumque reviſere Cœlum
Georgius; adverſas ponti nec noſceret iras,
Ventorumque minas, & longi tædia curſûs?
Ut nihil eſt certum! diuturna ut nulla voluptas!
Quam ſubiti mea, quam triſtes Tua gaudia caſus
Abrumpunt? Voto quem ſalvum optavimus uno
Occidit, heu! nec ego reducem ad mea littora cernam,
Cui modo felices annos, multosque precabar
Natales; nec tu recipis niſi funeris atro
Agmine, quem pompâ meliore ornare parabas.
Tu tamen & fœlix, tumulo quæ condis avito
Relliquias; nec ego (ſiqua eſt modo gratia Muſæ)
Officio deero; ſuperaddam ego carmen, & æqui
Servantem Jurisque canam; Regemque Patremque
Fortemque & mitem; ſacros pietate fideli
Tu cineres ſerva, famam cuſtodiet Orbis.

Johannes Snow, A.M. Coll. SS. Trinitatis Socius,
& Scholarium Regiorum quondam unus.

LUCTUS ET GAUDIA.

Tu, Georgi, Europæ vix jam diſcordia regnâ
Fœdere firmâras, pacatisque otia terris
Tradideras, cum te rapuit vis invida fati.
Perfeciſti ingens opus, & revocaris ad aſtra
Mortales linquens oculos; ſic Claviger Heros
Silvarum horrentes partus, immania monſtra
Contudit, & vacuum fecit terroribus Orbem,
Nativosque adiit, meritorum præmia, Cælos.
Sed nos mœrentes ſublatum quærimus Orbi,
Dumque Deum colimus, Regem lugemus ademptum.
Ergone nec Pietas, nec fato libera regum,
Majeſtas? an per ſolium Libitina triumphans
Ibit? magnificamque trahet ſine more ruinam?
Nil prodeſt latas gentes, & pendula fata
Europæ tenuiſſe manu? Mariumque potentem
Audîſſe? ecquis erit, qui infidum frangat Iberum
Auſum iterum tentare, iterum iracunda Britannûm
In ſe tela vocare? ecquis qui claſſibus æquor
Sepiat intercluſum, & flavos muniat Indos,
Theſaurum Europæ, nitidæque cubilia gazæ?
Dignus adeſt, dignus Sceptrum qui ſumat ab illo;
Imperioque animisque patri non degener hæres,
Idem ſanctus honos, eadem indulgentia Gentis
Angliacæ ambobus, pater eſt & rector uterque.
Divus ab ætheriâ proſpectans Georgius arce,
Et nati matura videns benefacta, fatetur
Eſſe ſuis paria, & rivali gaudet in illo.
Tanta iterum ſacrum perfundunt gaudia pectus;
Quanta Orbi præſens cum fulſit numen, & Anglos
Non modico radio & propiori luce beavit.
Angliaque auſpicium ſecli felicis, & annos
Albo conſpicuos jam prævidet, omina regni
Agnoſcens veteris, totumque in prole parentem.

J. E. Colleton, Aul. Clar.
Soc. Commenſalis.

CUM clarum occiduus condit Sol Nubibus Orbem,
Et variâ Montes pingere Luce negat;
Cernimus, in mœſtum vertuntur ut omnia Vultum,
Irriguóque madens Terra Vapore dolet.

Aſt illi miſeras ubi lumine viſere Terras
Et curru rutilo ſtat revocare Diem;
Diffugiunt madidæ, Radio impellente, Tenebræ,
Natura & vultu ridet amœna novo.

Sic ubi jam trepidas GEORGÎ Mors percutit Aures,
Et Regem Fama eſt occubuiſſe Neci;
Injuſſa ex oculis Lacrymarum Flumina manant,
Et cadit in tumidas plurima Gutta Genas.

At ſimul in ſolio celſum, Sceptróque decorum
Aſpicimus ſimilem jam ſupereſſe Ducem;
Serpit per placidas gratiſſima Flamma Medullas,
Et fugit admoto languidus Igne Vapor.

Tu, GEORGI, Imperio flectas, Sol Ignibus, Orbem;
Ipſe feras Leges Gentibus, ille Diem.
Sic Sol quot recreans geniali Lampade luſtrat,
Tot Regno lætos feceris Ipſe tuo.

N. Bon'foy, Aul. Pemb. *Nicolai Bon'foy*
Armigeri Filius Natu maximus.

QUIS nunc diſſidiis actum novus Arbiter orbem
Placet; & Europæ fœdera rupta novet?
Quis nunc invigilet rebus curetque Britannis?
Qui durum Hiſpanum molliat, ecquis erit?
GEORGIUS occubuit: Cuſtode Britannia mœſtos
Continuò luctus integrat orba ſuo.
Nec minùs indulget mœſtiſſima Granta dolori,
Præſidio, GEORGI, Granta beata tuo:
Jam Tibi, quos potis eſt, heu! granta rependit honores,
Muſarum fruſtra Granta ſuperba choro:
Quot variis tua nos ditâtunt munera linguis;
Deflebit totidem Te pia Fama ſonis.
Sed quid opus fletu? ſolium faſcesque Britannos,
Arbiter Europæ GEORGIUS alter habet.

Jure

Jure hæredis habes patrios, Rex optime, faſces;
Ex meritis Patriæ fit Tibi tantus amor.
Quæ diviſa alios illuſtres reddidit olim,
In Te virtutum juncta caterva coit.
Te celebrem tradet ſæclis venientibus illa
In patrem obſequii ſplendida fama Tui:
Te præſens rerum Tutelam reſpicit ætas;
Te morum exemplar tempora ſera colent.
Læta Tui quondam ſenſit præludia regni
Auſpiciis felix Anglia facta Tuis:
Nunc fruitur Te Rege ſuo; populique Britanni
Nil ultra, quo mox progrediantur, habent.

T. Southernwood, Coll. Regal. Alumn.

ADSIS, Melpomene, triſti redimita cupreſſo
Adſis, communémque in luctum accerſe ſorores:
GEORGIUS occubuit, Musâ deflebilis omni
GEORGIUS occubuit! Divûm exaugere Coronam
Dignatur Divus; ſed quæ dedit eſſe beatum
Sors huic, quot peperit nobis infanda dolores!
Siqua autem Lacrymis fiat mora, ſi ſingultus
Haud vocem omninò præcludant, carmine curas
Solari reſtat miſeris, & fallere cantu.
Quis, quis enim recolit dum facta inſignia Regis
Defuncti, immotus recolit, quàm maſcula virtus
Heroa exhibuit, vel quæ ſapientia Regem?
Unde autem novus hic ardor, qui pectus anhelum
Urget, quæ mentem tam grata inſania ludit?
Fallor, an, armatos quà Mars ad bella Phalanges
Inſtruit, Heroem aſpicio, ſeſe ore ferentem
Tali, quali olim juvenili ſanguine venæ
Fervebant, totumque agitabat Martius ardor
Pectus; quà ferri denſiſſimus ingruit imber,
Inſtantem aſpicio, fruſtrà Vulcania peſtis
Circùm immane fremit, fruſtra agmina barbara iniquis
Luctantur fatis, Turcarum ferrea Pubes.
Non quiſquam irato ſeſe offerre obvius audet,
Non quiſquam perferre ardentis fulmina Dextræ.
Nunc his nunc illis trepidantibus impiger inſtat;
Nunc hos nunc illos fatalis demetit enſis.

Altera jam rerum facies, & amabilis ordo
Aſſurgit, Regémque juvat luſtrare ſereno
Pectore volventem, quà juſtis legibus Orbem
Componat, Populum imperio quà dirigat æquo
Et Laurus inter victrices nectat Olivam.
Triſtè impendentes belli diſpellere nubes,
Pacifico adverſas conſtringere fœdere gentes,
Et Populo firmare ſuo ſine ſanguine jura
Hic Labor, hoc Regi ſtudium, Mundóque Quietem
Cùm dederat, placidæ ſuccumbit & ipſe Quieti.
Quin Lacrymas reprime, & vanas depone Querelas;
Vivit adhuc; veterem, Britones, agnoſcite Regem;
In Nato totus vivit Pater; Alter & Idem.
Sic ubi Fata volunt, Fatis Titanius Ales
Succumbit, mediosque ruit moriturus in ignes;
At novus exoritur Phœnix, patriisque favillis
Clarior emergens, geniali in funere vivit.

Seward, Coll. Joh. Alumn.

MANIBUS Auguſtis quanquam gens tota parentat
Fertque ſacro lacrymas, munus inane, rogo.
Non tamen abripuit totum inclementia fati,
GEORGIUS æternâ laude ſuperſtes erit.
Nomen honoratum dignâ pietate coletur,
Grati animi quicquam dum pietatis habent.
Fama per immenſum ſemper celebrabitur Orbem,
Dum ſuus ingenuis artibus extat honos.
Ipſam opibus ſemper qui fovit & auxit honore,
Quam vetet hunc merito Grata Camæna mori?

Sandys, A. B. Coll. SS. Trinitatis Alumn.
Unus è Modern. Hiſt. Schol. Regiis.

ILLE dies ſine ſole ibat longiſſimus Anni,
In quo Rex Britonum GEORGIUS occubuit.
Non tantùm eripuit radios Sol ipſe micantes,
Phœbe ſed nigris vecta dolebat Equis.
Sidera diffugêre, indutaque nocte GEORGÎ
Nolebant oculis Fata videre ſuis.

Jupiter

LUCTUS ET GAUDIA.

Jupiter intonuit, fragor & Cælum omne ciebat;
Anglia in antiquum viſa abiiſſe Chaos.
At nova nunc rerum Facies, ex æthere cedunt
Nubes, & ponit tela triſulca Deus:
Ut Deus olim Orbi, ſic inquit GEORGIUS Anglis,
Lumen adeſto Meis, & modò Lumen adeſt.

Rob. Gale, Coll. Trin. Alumn.

SUPREMOS Cineres & triſtia funera Regis
Præcipiti abrepti fato, irrevocabile damnum,
Deflemus miſeri; meritoque per ardua Cæli
Horridus ingeminat clamor, mœſtiſſima luctus
Monſtrat ſcena graves, & lamentabile Fatum.
Dum tua præluxit pietas, En proſpera Regni
Auſpiciis fortuna tuis! Te ſoſpite Cives
Gaudia ſenſerunt immixta atque otia grata.
At quo fata trahunt? Dum tranat Cærula Vaſta
Claſſe ſuum pelagus ſulcans, placido æquore Tethys
Ridet, maturatque Viam: Heu! ſpirabile Virus
Haurit & opprimitur Cerebrum, dum ſerpit inulta
Sæva lues: meninx pœnis diſtenditur ægra:
Aeris alternos anguſtat pulmo meatus;
Corporis atque Arcem invadit mox Coma nocivum;
Jamque anima aufugiens trunco valedicit inerti.
Flebilis interea circumſtrepit undique planctus;
Noſtra ſalus periit; clamantibus aſſonat Echo.
Dum tanto Angligenûm ſubitoque exterrita damno
Gens ſtupet & triſtis lachrymâ rigat ora frequenti.
Siſtite ſed lacrymas. Namque haud indigna paternis
Laudibus aſſurgit ſoboles, quæ jura miniſtrat
In populi patriæque decus; jamque Anglia ſoſpes
Attollit vultus, hilares ducitque triumphos.

Tho. Smelt, Coll. Chr. Alumnus.

AUDIIT Muſas, graviter gementem
Audiit Phœbum, mediisque ab undis
Extulit ſacros Humeros, & ultro
Talia *Camus*;

" Ergo Te, noſtris vitiis iniquum,
" Publicis votis ſuperi negârint?
" Te premit Nox, perpetuusque ſomnus,
" Optime Princeps!
" Te tamen Divûm numero relatum
" Accipit læto GULIELMUS ore,
" Te ſibi multum pia gratulatur
" ANNA ſodalem.
" Cantabri clarés domitor furentis,
" Vindicem agnoſcunt Aquilæ tuorum
" Te, rogum exornat comitata pulchrâ
" Laurus Olivâ.
" Dum meas ripas, Tua dona, Turres
" Aureæ ſignant, memori Camœnæ
" Te canent plectro, referentque gratæ
" Munera Regis.
" Alter AUGUSTUS ſolium Paternum
" Occupat, dignus ſolio Paterno.
" Proteget virtute pari & Nepotes
" Regia Proles.
" Tu tenax veri, diadema Iberum
" Spernis oblatum, pia CAROLINA;
" Dii Tuis æqui meritis rependunt
" Splendida dona.
" Vos novis plectris fidibusque, Cami
" Filiæ, ſacrate Deos amicos:
" Seculum ſacrabit in omne claros
" Fama ſuperſtes.

Joh. Dupont, Coll. Trin. Alumnus.

EST viti ſimilis Conjux CAROLINA, GEORGI,
Palmite & abs uno quàm grave pendet onus!
Et Tua Progenies talis viridante Juventâ,
Formoſa in placido qualis Oliva ſolo.
Felix Rege ſuo, felix Brittannia Prole,
Matreque, cui Tales jam peperiſſe datur:
Plena Pharetra Tua eſt, His vinces undique Telis:
His Orbis domitus, ſi modò pugnet, erit.

Johannes Bott, A. B. Coll Trin. Alumnus.

ERGONE

ERGONE Mors gelidas nullo diſcrimine cunctis
Sæva Manus infert? totum, heu! graſſata per Orbem
Huc, illuc bacchatur, agensque impunè Triumphos
Sternit humi duro Diademata Regia Sceptro?
Nilne poteſt Capiti importuna Pericula tanto
Pellere? Nil Pietas toties ſpectata morari
Pauliſper Legem fatalem & funus acerbum?
Per Deſiderium Populi, per ſi quid Avorum
Tangit Honos, parce & propiùs Res aſpice noſtras.
Quò jam pulſa, Viri quæ Gratia mitis in ore
Emicuit, quò priſca novæ viridisque Senectæ
Majeſtas? jacet, ah! quantum mutatus ab illo!
Debile, demiſſum proprio jam pondere nutat
En! Caput, Angliacam pote ſuſtentare Coronam!
Obtorpet Manus, & Sceptrum tractare recuſat,
Notum Onus & gratum! Solio cùm inſignis ab alto
Jura daretque Viris, Gentesque in Pace teneret!
At nimis in triſti Viſu, Mea Muſa, moraris;
Lugubres Cantus & vanas pone Querelas;
Non omnis moritur Patriæ Pater, uſque ſuperſtes
Nobile Nomen erit, ſiquid mea Carmina poſſunt.
At Quis tanta æquis valeat numerata referre,
Facta Modis? longas Rerum quis pandere digne
Ambages, aut ſumma ſequi Faſtigia poſſit?
Seu, cum cara Fides, ſpretique Injuria Recti,
Impulit horriſonis terras accendere Bellis,
Seu, cum reſpexit miſeros, ſalvisque ſubactis
Eſſe dedit, doluitque vicem placatus iniquam.
O Quem Te memorem, cùm per Maria invia Regnum
Jure tuum peteres, Cum Vindice læta recepto
Terra Britanna ſuo, lethum tulit æquius ANNÆ!
O præclara Dies, feſtisque colenda quotannis!
Cum Plebs ponè ſequens, ſacrum Pæana canendo
GEORGIUS! ingeminaret, Io! fremituque ſecundo
Certatim exutis agitaret Gaudia Curis.
Senſit, & extemplò gemuit nothus Exul & omnes
Procubuere Minæ, Scelerum Cruciatibus Æger
Nequicquam clauſus timet, indulgetque Dolori.
Audiit, obſtupuitque dolos meditatus inanes
Hiſpanus, ſua cuncta retrò ſublapſa referri.
Quid dicam, qualis nuper penetravit ad Oras

Classis Hyperboreas? Pars horruit ultima Mundi
Expertos Ignes, & non imitabile Fulmen.
Quò præceps Me Musa rapis? quò tendis inepta?
Quàm malè conveniunt tenui Modulamina Plectro
Ista tuo? desunt Vires, discede Peritis.
Non deerit, novi, Vates melioribus Alter
Auspiciis, Qui majores assurgat in Ausus,
Qui canat egregias Laudes, æquetque canendo.
Tu Tumulum serva, flenti similisque rubentes
Sparge Rosas, ramis tegito frondentis Olivæ;
Ter circumlustra & superadde novissima Verba,
" Tandem, Magne, Vale, Britonum Decus; Ipse dedisti
" Discordi Fœdus Mundo, placidamque Quietem,
" Tu Pace æternùm fruere, & volventibus Annis
" Securus dormi, & Tellus levis imprimat Ossa.

Robertus Bethell, Trin. Coll. Alumn.

JAM cecidit Bellique Fragor, Sonitusque Tubarum,
Et dira Europae gentes Bellona reliquit,
Consiliis prudens pacavit lenibus Orbem
GEORGIUS; & sedit risus super ora Britannûm.
Cum subito lætis miscentur tristia rebus;
GEORGIUS occubiut! cecidit Spes vestra, Britanni,
Nec Pacis patitur Lachesis decerpere fructus.
Quis memorare tuos poterit Brittannia luctus!
Quis gemitus numerare pios! Gens aspera bello,
Deliciis Pacis subridens nuper amœnis,
Te, GEORGI, lachrymis, & luctu squallida poscit.
Ipse tibi Nereus justos persolvit honores,
Et placidum reddit, ventis sidentibus, æquor;
In luctusque vocat per cærula regna vagantes
Divos, Tritonumque choros, Nymphasque marinas.
Attonitus Thamesis sinuosas corripit undas,
Præsidio Britonum nec gaudet mille carinis;
At tacitas mœsto volvens sub pectore curas,
Ipse Patri Oceano pertristis nuncius errat,
Atque undas pariter miscet, questusque seniles.
Tuque memor Domini, doctis dilecte Camœnis,
Came Senex, dulci resonant cui carmine ripæ,

Patronum

Patronum defles; dumque inter laberis agros,
Quos varios undis leviter prælambis amœnis,
Amiſſum triſti quereris cum murmure Regem.
Interea novus en! rerum ſubnaſcitur ordo,
GEORGIUS alter adeſt! deſiſte, Britannia, luctu,
Et regem vultu ridens gratare ſereno.
Tuque O Brittannæ gentis cape lætus habenas,
Maxime Rex; ſolioque orbem ſublimis ab alto
Imperiis moderare tuis, cum Conjuge Sacrâ.
Salve Spes Britonum! atque amiſſi patris Imago.
Sic olim Æneæ Juvenis ſucceſſit Iülus,
Haud Patri abſimilis, magnæ ſpes altera Romæ.

Joan. Clark, A. B. Trin. Coll.
Unus è Modern. Hiſt. Scholar. Regiis,

ECLOGA.

Interlocutores CORYDON & DAPHNIS.

VESPER erat, rubeusque imum trajecerat Orbem
Phœbus, cum Corydon, jam curâ ſaucius altâ,
Deſertâque domo, ſub tegmine ſedit Olivæ,
Et gemitu concuſſus, ibi hæc incondita ſolus
Jactavit; Mihi jam pecus omne quieſcit ovili
Ubera oves cedunt agnis, ſub matribus Hædi
Luxuriant, & Apes cellis quæſita reponunt,
O fortunati, quoniam ſua non mala nôrunt!
Unicus ipſe gregis Dominus, traducere noctem
(Me miſerum!) cogor fletu, inſomnisque doloris
Mole premor durâ. Et merito: quando occidit ille,
Cui ſola ætatem Libitina invidit, Alexis:
Paſtorum Cuſtos, & ſpes & ſumma Voluptas.
Omnes, vivo illo, monſtrârunt gaudia lætis
Vocibus & vultu; priùs haud dedit ille querelis
Materiem, ſed in hanc ſuſpiria diſtulit horam.
Nunc lacrymis locus eſt. Semper leniſſimus unus
Ille virûm emicuit, ſed cedere neſcius idem
Hoſtibus, & Pacis pius obſervator & Æqui.
Fures (triſte genus ſtabulis!) quando ille regebat
Prata procul nobis aberant, vix auſus ovili

Ipſe Lupus ſtimulante fame pleno inſidiari.
Nulla Anglos rapuit ſcelerata inſania belli
Per multos annos ſed pax diuturna beavit
Agros, & viguere pecus pecorisque magiſtri.
Sed cadis & Patriæ tecum, dux maxime, ad umbras
Spem trahis, heu! tanto graviori funere merſæ
Quanto, te vivo, fuerit felicior illa.
O Dolor! O Virtus! Oculis quis flumina noſtris
Præbeat, ut ſemper mea fletibus ora madeſcant?
Hæc Corydon: neque finierat cum Daphnis amico
Improviſus adeſt, gemitusque abrumpit acerbos;
Nec tamen ipſe dolore vacat. Quæ dixerit ille,
Muſa refer. D. Cur hæc, Corydon, tam triſtia verba?
Quam tibi diſſimilis? Quantum O, mutaris ab illo
Qui nemus omne jocis riſuque hilarare ſolebas!
Anne ideo currunt lachrymæ quod nuper Alexin
Vita reliquit! C. Ita eſt: nec noſtro defluet ille
Ex animo citius memori, quam corpore Sanguis.
Eſt mihi, Daphni domi, meminiſti, filius unus
Indole nulli impar, hunc inſtituebat Alexis
Sumptibus & juſſis (adeò fuit ille benignus
Ingenii,) linguis queîs ſeſe Hiſpanica Tellus
Aut Galli jactant, Italive, aut extera quævis
Terra, Vir his rebus multâ & celeberrimus arte.
Hinc cum debilitato annis mihi membra vacillent,
Deficiant oculi, totamque oſtenderit uſus
Artem quâ curant pecudes atque arva Britanni,
Ille meus Corydon (O quam auſcultare juvabit!)
Sæpe mihi referet varios quos ſingula quæque
Gens peregrina modos vernantia rura colendi
Et pecus invenit; tandem & quibus artibus illi
Et precibus valeant fugientes flectere Nymphas.
Vocibus his poterit ſenii lenire moleſti
Curas: At ſemper, dum ſic mihi gaudia ſumo,
In mentem veniet tam grati muneris Auctor
Mortuus, & coget ſævum hunc renovare dolorem.
D. Sed tanto quid opus gemitu, quo nec caret ille,
Nec tua res, Corydon, meruit? Dudum ille beatas
Attigit Elyſii ſedes, vacuusque dolore
Semper ibi purâ vivet dulcedine lætus.
Sed tibi ne metuas: Solio ſedet alter Alexis
Qui geſtare pari poterit ſua Sceptra Britannis

Impe-

Imperio, & mores imitando æquare paternos:
Hic non luxurie ſuetus conſumere lucem,
Non levibus noctem choreis, ſed ad ardua quæque
Duravit ſeſe teneris inſtructus ab annis.
Hinc & ad arma itur; ſed in his quàm præſtitit arte,
Quàm dextrâ Princeps, Galli ſenſere fugati.
Multum & Conſilio valuit, ſemperque loquenti
Tota Patrum juveni intendebat Curia mentes.
Qualis erat patriæ cuſtos, quàm fautor honeſti,
Quàm miti Ingenio, quantùm agros ſemper amavit,
Paſtores, & oves, curis noſtrisque benignus
Adfuit, ipſe, Puer, nôſti, cum Sceptra parentis
Ituri peregrè pro tempore geſſerit Ille.
Talibus auſpiciis & tanto munere Divûm,
Quale decus, Corydon, noſtris hunc affore rebus
Credere nos deceat? Quanta hæc aſſurgere regna
Huic ſubjecta viro, juvenis qui tanta valebat?
C. Aſſurgant, precor! At ſibi Phyllida duxit Alexis
Olim, ſi memini, ſponſam; num dividit illa
Cum rege Imperium? D. Sic Fama eſt: Fama Britannis
Grata quidem merito! nec enim ſit dignior ulla,
Totum quæ populum ſibi ſub ditione teneret
Unica, quàm Phyllis; tantis inſigniit illi
Jupiter ipſe animam donis! tanta enitet ore
Majeſtas! nam nuper erat mihi cauſa videndi
Londinum, mihi cum, latâ ut ſpatiabar in urbe
Undique proſpiciens, oculis fors duxit amica
Phyllida filiolasque duas: ut quæque decora
Ut formoſa fuit nequeunt exponere verba.
Obſtupui, &, quicquid nôram mortale, putavi
Phyllide tàm inferius ſpecie quàm Cynthia Phœbo.
Sic, Puer haud unquam deerit qui regna capeſſat
Anglorum magni de ſanguine natus Alexis,
Qui virtute Patres referat formâque venuſtâ:
Inde diù paribus gaudebit terra patronis,
Inde genus Divûm naſcetur ſtemmate longo.
C. Sic quoque dum ſumptis armis Rex tendit in oras
Longinquas, Regina domi moderamine blando,
Summo & conſilio tutis dominabitur Anglis.
Haud aliter (ſi parva licet componere magnis)
Dum procul ipſe vagas pecudes per paſcua duco
Noſtra domi Galatea fovet ſtudioſa tenellam,

Quæ nobis ſupereſt, prolem & tuta omnia ſervat.
At dum innupta fuit, neque me Galatea beârat
Connubio, deſerta domus cuſtode carebat,
Cum procùl ipſe greges agerem; Lupus hoſtis ovili,
Siquos fortè domi tenuit mihi morbus, edebat
Impunitus oves, furque eſt graſſatus in agnos.
D. Verum iſthæc, Corydon, præſenti in tempore mittas;
Totus penè dies abiit, reducemque manebit
Anxia me Conjux; melius ſimul ibimus ambo
Ad mea tecta & ibi noctem ſimul ambo trahemus,
Ponentes lachrymas, cantu ſalibusque jocoſis,
Atque novo læti ſolium gratemur Alexi.
Eſt mihi Cerviſiæ, quam nunc bis ſeptima vidit
Luna, Cadus, nec ciſtula abeſt conferta recenti
Pœto, quod, nôſti, Paſtores ſemper amamus.
C. Haud ingrata mones; cumque advenit alter Alexis,
(Advenit Imperii ſatis informatus ad artes,
Felicique ſciens moderamine rura beandi
Ni mihi ficta refers) ſolioque potitur avito,
Aſſidet & Phyllis, vano indulgere dolori
Ipſe mihi videor, nec quem res iſta meretur.
Ergò age, Daphni, viam ducas, ſequor ipſe daturus
Lætitiæ vos, quæ tam fauſtæ accedítis, horas.

S. Kirſhaw, Aul. Cath. Alumn.
Unus è Modern. Hiſt. Schol. Regiis.

Post varios Gemitus Plauſusque O comprime Luctum,
Comprime Lætitiam, Terra Britanna, Tuam.
Nec vires minuant Adverſa, aut pectora frangant;
Nec, rebus Lætis, imperet Ira Tibi.
Sit Magnum Exemplar Rex & Regina Britannis,
Noſtra Ætas nullum clarius Orbe videt:
Diligitur Cunctis exemplum propter Uterque
Æquus in Imperiis, Ille vel Illa, ſuis.
Non regit hic, quiſquis dominari in cætera quærit,
Ille regit verè, qui ſibi Corda ligat.

Trafford Barnſton, Coll Trin. Alumn.

LUCTUS ET GAUDIA.

MUSA, dum GEORGI Britonumque planctus
Funus, adspires; neque tu favorem,
(Nam tibi semper placidus favebat)
Granta, recuses.
Queîs modis clarum celebrabo Regem?
Quid priùs dicam? Memorare Musa
Militem gestit, neque vult silere
Grata Patronum.
Perfidis quanquam trepidavit armis
Terra; conatus malè inominatos
Contudit, palmæ & similis gravatæ,
Pulchrior exît:
Sic, licèt Cælum tenebræ profundæ
Obtegant, Fulgur Nebulas coruscum
Rumpit, atque auctus superat trementes
Splendor ocellos.
Ergo tu fletus meritos refrænas,
Angle, cùm Fatum columen Britannûm
Abstulit? Spes heu! perit, & ruina
Imminet Orbi.
Haud secus Solem ingemuere primum
Conditum nigris tenebris Parentes,
Mane dum luctum rediens benignâ
Luce fugaret.
Atque Te, GEORGI, fugiente terras,
Stella felicis veneranda Mundi,
Ora perfudit dolor universa
Fata timentûm.
At micat quæ lux nova? Quis recludit
Æthera optatum? Revocato, Musa,
Gaudium tandem, gemitusque læta
Desine crebros.
Excipit sese subitò renascens
GEORGIUS; gratos radios per omnem
Angliam mittit, repetitque Sceptrum,
Alter & idem.
Si quis hæc cernas, Deus, hocce munus
Britonum des sit proprium! Beatâ
Pace tu, Princeps, Populusque longùm
Te potiatur.

Samuel Ray, Coll. Magd. Alumn.

Ad REGEM.

POST Patris Interitum, diſſolvis, Nate, Senatum;
Et Populi & Princeps Occubuere ſimul.
Nulla dies aut Hunc aut Illos eximet ævo;
Curia dum conſtat conſiliisque valet.
Aſpicite en! Simili frondeſcit virga Metallo,
Rex viget in Nato, in prole Britannus Eques.
Cunctis vita redit, Rex Idem, Idemque Senatus;
Semper Idem Angligenis extet & Imperium!

Staunton Degge, A. B. Coll. Trin.
Unus è Modern. Hiſt Scholar. Regiis.

QUALEM, inſolentes dum pluviæ ingruunt
Craſſæque nubes eripiunt diem,
Ipsâ triumphantem in procellâ
Et mediis lachrymis decoram
Phæbi miniſtram vidimus Iridem,
Quæ mutuatis fœta coloribus,
Parente vix indigna Phæbo,
Per tenebras ſpecioſa fulget:
Incerta tali Sorte Britannia
Miſcet ſolenni gaudia næniæ
Interque luctus læta pandit
Pollicitam meliora frontem.
At quis cadentis facta GEORGII
Digno recenſet carmine, quis piâ
Ornat Camænâ providentem
Inque Patres Populumque curam?
Seu Barbarorum perfida, vindicem
Haſtam coruſcans, proruat agmina,
Et per reluctantes catervas
Fulmineum rotet acer enſem:
Seu blandioris pacis amabiles
Agat triumphos Oceani arbiter,
Belloque quæſita Anglicanis
Firmet opes animumque regnis.
At quis furentem accendit amabilis
Ardor Camænam? jam videor novum
Luſtrare ſeclum, jam futuros
Angligenûm reſerare faſtos.

LUCTUS ET GAUDIA.

En! ut recluſas Pieridum domos
Ornabit olim GEORGIUS advena,
  Camique ripas invidendas
    Egregius decorabit hoſpes.
Camus profundo geſtiet alveo
Superbiores volvere vortices,
  Nec invidebit conjugato
    Ambigui Thameſis fluento.
Inuſitatis ſplendida honoribus
En! aucta Grantæ ſurgere mænia,
  En! quas beabit CAROLINA,
    Quasque colet FREDERICUS ædes.
Sed, ah! coercet Muſa malignior
Prægeſtientem pectoris impetum,
  Totamque perluſtrare pompam
    Fata negant oculo ſequaci.

Gul. Rothery, A. B. Coll. Div. Joh.

DE GEORGÎ Patriâ totus dum diſputat Orbis,
  Maxima lis orta eſt Angliæ & Hannoviæ;
Vendicat Hæc Regem, Hannoviæ quod natus in oris;
  Illa, quòd eſt Britonum Natus ad Imperium.
Aſſerit intereà, & dirimit Certamen Olympus,
  " Dum, GEORGI, in Terris vixeris, Exul eris;
" Cælum, quo Pietas evexit & Ardua Virtus,
  " Cælum eſt, quod poſſis dicere Jure Tuum.

Henricus Tilſon, Trin. Coll. Alumn.

REGALI induitur diademate GEORGIUS, Æde
  Inter defunctos quâ ſedet altus Avos.
Conclamant populi " Ecce! Deus, Deus Ecce! Britannis;
  Ornat dum Sacrum Sancta Corona Caput:
Reſpicimus Tumulos, gemimus crudelia Regum
  Fata, & Mortales credimus eſſe Deos:
Quàm bene! dum, *Vivant Rex & Regina*, ſonamus,
  Ante oculos ſpectant Iſta, Memento Mori.

Leonardus Mapes, Trin. Coll. Alumn.

INGENTES luctus, & Lamentabile Fatum
Principis, eſepti crudelis vulnere morbi
Muſa refer, querulisque modis cane flebile Lethum.
Proh Dolor! Angligenûm columen, dum vita manebat,
GEORGIUS interiit; lacrymoſa heu! montis Imago
Rettulit interiit: tacitoque in littore Regis
Saxa repercuſſo gemuêrunt funera planctu.
O quem Te memorem! quali decorabo ſepultos
Laude Tuos cineres! Tu vires annue vati,
Muſa, precor, cœptisque pares accende furores.
Vix dum ſignabat Lanugine prima rubentes
Barba genas, cum Te validâ ſenſere Juventâ
Indignantem armis Turcæ: dextrâque minaci
Adverſas ſternentem acies. Te Buda tonantem
Senſit, victorique fores Captiva recluſit.
Major pugna vocat, ſubitus ferit æthera clangor
Armorum, raucosque dedit Tuba bellica cantus.
Agnoſco Lethi faciem, taboque fluentes
Aldenardi agros. Quantus fulgentibus armis
GEORGIUS incedit; mediisque in millibus ardens,
Proterit attonitas iterato vulnere Turmas!
Olli nec trepidis accrevit Gloria rebus
Tantum, nex vixit poſitis inglorius armis.
Hunc columen ſensêre inopes, opibusque levavit
Quos preſſit Fortuna gravis; non pectora triſti
Intumuere illi faſtu, tumidusve minores
Deſpexit; facili ſed Majeſtate verendus,
Inceſſuque gravis; roſeis fuit uſque labellis
Gratia, facundæque comes Sapientia voci.
Hinc illum voluere Ducem, Patriæque Britanni
Hinc ultro petiere Patrem, tandemque potiti
Votis, hinc placidam duxere per otia Pacem.
O Felix! O Læta Dies! Diademate Frontem
Quo Tibi cinxerunt; noſtris incognita terris
Pax tecum venit: fruſtra Civilis Enyo
Dentibus infremuit, fruſtra Regale Coronâ
Speravit nudare Caput, nil Bella, nefandi
Nil valuêre doli; tandem contuſa reſedit.
Tu tamen, O tantis nequicquam erepte periclis!
Cui Martis rabies, & cui Bellona pepercit,
Infelix moreris; nec Te tua plurima texit,
Nec populi Pietas: heu! quo Tibi forma receſſit?
Quo Tibi Majeſtas? quantum O! mutatus ab illo,
Sacra Triumphantem quem læto Curia plauſu Excepit

LUCTUS ET GAUDIA.

Excepit nuper, cum Pax tranquilla verendum
Compoſuit vultum; quali tum murmure Vulgus
Te celebravit ovans; Thameſis revolubilis Echo
Clamores retulit: tectique ad limina retro
Te Patrum veneranda cohors, plebisque Corona
Te duxit, Regemque ſacro cumulavit Honore.
Sed nec amor Populi, nec Te quid Cura moratur
Officioſa Patrum, ſumma ad faſtigia Honoris
Evectus, petis aſtra volens cœtusque Deorum.

Benjamin Boſanquet, Coll. Trin. Alumn.

Οὐ'κ ἔτ' ἄειδε, Θεὰ, πολεμήϊα ἔργα Βρεταννῶν
Κυδαλιμῶν, ἀναειθμήτυς μήδ' ἔννεπε νίκας,
Ἄρχε ὺ λευγαλέυ κλαυθμοῖο, γόοιό τε γαίης
Ἀγλιαχῆς, ὡς πένθ@ ἀάχεϵν ἵκετο πάντας,
Κάθανεν ἡμέτερϑν κῦδος, βασιλεύταl@ ἀνδρῶν,
Αἰχμητὴς κραταιός τ', ἀγαθός τε, ΓΕΩ'ΡΓΙΟΣ. Οἷα
Ἐκ μέλανος θανάτοιο πολύϛονα κήδε' ἐφῆπλαι;
Πῶς Ἀγλοισι πάρος μακάρεσσι φθόνησε κραταιὰ
Μοῖρα, φερέϐσα φόνον κὴ κῆρα Βρεταννίδι γαίη;
Τίπλε δ' ἔνι ϛήθεσ' ὀλοφυρόμεθ' αἰνὰ παθόντες;
Ἄλγεα ληγῶμεν νῦν ὀλϐιοδαίμονες Ἀγλοι,
Χεροὶν ἔχϕ Σκῆπλϵϑν βασιλήϊον ἄφθιϵν αἰεὶ
Ὀϐειμόθυμ@ Ἄναξ, ὅς Πατρὶ πϵϑσείκελός ἐϛιν,
Ἦν δὲ Θεοῖσι Πατὴρ ἐπείκελ@ Ἀθανάτοισι.

Car. Slade, Aul. Pemb. Alumn.

Ad REGINAM.

Quòd Virtus Pietasque Britanno floret in Orbe,
Quòdque vetus Vultus induit Aula novos;
Laus eſt Illa Tua: & Comitum quod deinde Tuarum
Nupta tenet primum Dorſetiana Locum.
Hunc tenet, & Merito: quid enim conſpectius Illâ?
Et Formâ & Sobole eſt proxima pene Tibi.
Ut Tu prole beas gentem, CAROLINA, Britannam,
Prole Suâ Prolem ſic colet Illa Tuam.

Robertus Parran, S. T. B. Coll. Trin. Soc. Sen.
Duci *Dorſetenſi* à Sacris Domeſticis.

Ad Navem quæ REGEM *evexit.*

SYLVÆ nefastæ Filia! Dedecus
Ingens phaselis, quot premit Indiæ
Vagus redemptor, quot marinò
Marte fremunt metuendæ Iberis!
Invisa certe virgineis choris
Querceta, Musis te nemus invium
Produxit, arbos, in Britannæ
Opprobrium lachrymasque gentis:
Illum & procellis ludibrium arbitror
Debere: sævas ille per insulas
Nullâque lustratas carinâ
Perpetuus trepidabit hospes,
Qui primus alas cunque dedit tuas
Curvare ventis, non ita creditas,
Nec tale munus luctuosæ
Pollicitas, malefida, genti.
Atqui locâsses ritè operam tuam
Ministra belli, quà fremit hispidas
Pertæsus oras, incolisque
Muscovius trucior pruinis:
Ibérve voti quà furit impotens,
Molésque binas Herculeæ manûs
Utrâque disjunctas arenâ
Unda fretis secat æstuosis.
Scin' quale pondus, perfida, creditum
Debes Britannis, non reparabile
Quocunque velo, non utroque
Si traheres pretiosa ab Indo
Incontinentes divitias domum?
Heu! nostra tandem quid meruit tuis
De carbasis pubes? Nepotes
Quid miseri meruere tantum?
Non his phaselis nomen & Anglicæ
Crevere vires, non maris arbitra
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili:
Jam non inultâ cesserat impotens
Tellure dirus Cantaber, aut tuos,
ELIZA, formidârat ignes,
Exitii pretiosus emptor: Impunè

Impunè potor Danubii tuas
Mox, Cæſar, iras fallere perfidus
Sperârat, O tutela præſens!
Angliaci Stator O doloris!
Te jam timeri, maxime principum,
Permitte, prodi grande decus Tuis,
Labantis Europæ redemptor
Per titulos patiens vocari.
Cuſtode rerum Cæſare jam Furor
Civilis iræ decipitur ſuæ,
Enſesque diffingit minaces,
Nec miſeras inimicat urbes.
Quin purpuratam ponat imaginem,
Ludumque falſi ludere Principis
Dediſcat, æram fabulasque
Sceptra diu meditatus exul:
Erecta noſtris ſeditionibus
Jam Spes reſedit: protinus Infulâ
Mutare mendacem coronam,
Pollicitus graviora, tendet.

J. Taylor, A. B. Coll. Divi Joh. Soc.

Ad REGEM.

ACCIPE quae maeſto, PRINCEPS, modulamina fundit
Granta ſinu; extrema manes comitata paternos
Voce; ſuo manes aeterno ac carmine dignos:
Accipe, quas defert Tibi prona Academia luctus
Laetitiaeque vices; dubiae hoc certamine mentis
Diſcito Nos memoresque PATRIS, GNATUMque colentes.

Magna PATRIS totam cumulataque dona Camoenam,
Expoſcunt; Omnes, quas Camus arundine condit,
Ad luſumque lyramque vocant, docto agmine, Muſas:
Seu canitur celebris librorum ac mira ſupellex,
Mercibus Eois praeſtantior; aemula moli
Ingenti, Ptolemaee, tuae: Seu rege jubente
Artibus exculta ingenuis linguisque juventus:
Caeſarei eloquia aut memorentur ſacra palatî.

Me quoque, quem procul Aonio jam fonte, poloque
Poene ſub Arctoo nix Millennaria cingit;
Stillantem glacies calamum cui ſiſtit, inerti
Diſtringens languore modos; Me fronte benigna
Excipiat regum quo non clementior: Audi
Vota pruinoſo male nata cacumine montis;
Pierio haud inflata aeſtu: ſed habentia tantùm,
Quos ab amore trahunt ſummo obſequioque, calores.

Samuel Drake, S. T. P.
Coll. Div. Joh. Evang. Socius.

Ad REGINAM.

O! QUAM Britannæ dulce melos lyræ
Non indecoro carminis alite
Ornare geſtit, quam canendo
Grande decus referat viciſſim!
Tu fluxa dudum & ſceptra vagantia,
Regina, figis: mentibus anxiis
Tu ſpem reducis, tu Nepotum
Progeniem numeroſiorem.
Tu Civium non ante domabiles
Reſtinguis iras: compoſitos tibi
Submittit angues, jam quietem
Inſolitam meditans Erinnys.
Te pulchriori pura Fides juvat
Velata peplo, jam facile immemor
Cultûs ELISÆI, nec ANNÆ
Ulterius caritura curis.
O! ſi Poetam non rapit avium
Fallax imago, vox quoque barbiti
Et Muſa cordi eſt, nec fideles
Grantiadum renuis Camænas.
Et Granta centum nobilis artium,
Sermone pollens divite; te tuum
Præbente numen, jam docendum
Hannovium excipiet nepotem.
Hîc, civitatem quis deceat ſtatus,
Avita laurus quas peperit domus,
Ediſcet acris, mox paternis
Auſpiciis domiturus Orbem.

F. Barrell, Coll. Div. Joh. Soc. Commenſ.

LUCTUS ET GAUDIA.

TOTA repentino dum congemit Anglia Fato
Regis, & ingentes ſuadet depromere luctus
Lugubris hæc rerum facies; concuſſa Dolore
Dum Natura gravi premitur, ne Granta querelas
Invideat Mæcenati profundere; Granta,
Quæ vivo placuit Regi, quæ pignora amici
Accepitque deditque animi, jam triſtis acerbis
Proſequitur lachrymis defuncti funera Regis.
Qualis ſublimi frondoſa cacumine Quercus
Obſcurum cingens connexis Aera ramis,
Quæ multos manſiſſet Honos immota per annos
Sylvæ, jucundam foliis gratiſſima denſis
Intexens umbram Pecori: Radicis ad imum
Eruta, ſtridenti ventorum turbine victa.
GEORGIUS occubuit Talis (ſic volvere Parcas
Fatidicas, neu fila retro devolvere fas eſt,)
Talem præſtrinxit duri Lex invida Fati
Inſignem Pietate virum, quem jure ligantem
Pacifico populos, moderantem lege Senatus
Condignâ vidit, felix qui noverit unà
Imperiis, unà populorum inflectere Mentes
Virtute Exempli. Quantis ſe Gloria rebus
Extulerit GEORGÎ! ſe quantis inclyta factis
Ediderit Virtus, Populos dùm Pace regebat
Patronus Juris, Legum rigidusque Satelles!

Anglia ſed placidos, depulsâ nube, ſerenat
Aſpectus, meliora dehinc Prænuncia Fatis
Deſignata canit, (Dî dent ſit Præſcia veri.)
Palmite dum primo avulſo non deficit Alter
Regius, En! quali & quanto nova gaudia plauſu
Certatim celebrant Angli, dum GEORGIUS alter
Demulcet curas, & triſtes corde dolores
Alto defixos laxat, penitusque reſolvit!
Haud aliter nautis optati littora Portûs
Grata patent; quaſſas terræque advertere Proras
Naucleros juvat horrendis ſtridoribus Æquor
Perpeſſos raucum, abruptis tumidumque Procellis.

Froſt, Coll. Gonv. & Caij. Alum.

Ὦ Πόποι, ὅσσαι κῆρες ἐφεσσᾶσιν Θανάτοιο
Μυείαις, ἃς οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν; ἦ ἄρα Νῆσοι
Πολλαὶ ἐρπύζουσιν ἐπὶ χθόνα πυλυβότειραν,
Ἠέλιαιδ' ἄρα πολλαὶ ἀεικέα λοιγὸν ἰεῖσιν,
Ὡς δ' ὅτε χειμερίῳ ἐνὶ ἤματι ἶς ἀνέμοιο
Κύματα, ἄλλο μετ' ἄλλο ποτὶ ῥηγμῖνα κυλίνδει,
Τοιαίδ' Ἀνθρώπων Γενεαίτε, παρέρχεται ἄλλη,
Ἄλλη ἐφορμᾶται, πολλῶν δ' ἄρα γύνατα Μοῖρα
Χθιζάτε, κὴ πρωΐζα, κὴ ἤματα λύσαθ' πάντα,
Ἠδ' ἔπι κὴ λύσει· ἐπεὶ οὔποτε φῦλον ὁμοῖον
Ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' Ἀνθρώπων.
Τίς δ' ἄρ' ἔτι ζωὸν ὀλοφυρέεθ' ταχύπολμον
Αἴλινα ὀδυρόμενος, ὅτι θνητὸν ἐγείνατο Μήτηρ;
Κάτθανε γὰρ Σοφίης κλυτὸς υἱὸς, ὑπείροχος ἄλλων,
Ὃς φρεσὶν οἶδε δρέπειν κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν.

Ἀλλ' ἤτοι Βασιλῆί γ' ἀοιδὴν ἔτρεφε Μοῦσα,
Ὁππότε νοσήσειεν ἅμα οἰκόνδε φερέσκων
Εἰρήνῃ βαθύπλουτον· ὃ γὰρ Μούσαις φίλος ἦεν,
Ἠδὲ κὴ Ἀπόλλωνι λύρης εὖ εἰδότι οἴμους,
Ἦτοι γὰρ Τέμπους, Φοίβῳ ὅτι φίτατον ἄλλων
Πὰρ καμοῖο ῥοὰς, ἔ ἔποτ' ἐδεύετο δώρων,
Ἀλλ' ἐπεὶ ἔνθα βεβήκει, ὅθεν πάλιν οὐκέτι Νόστος,
Μοῦσ' Αὐτῷ κτέρεα κτερεϊσαμένη, ἀϊδὸς δὲ
Ὑσάπιον τόδ' ἔπος κλαίουσ' ὀπάσαιτο φέρεσβαν.

Ἀλλά Σε, φίτατ' Ἄναξ, ὅτ' ἐναίσιμος ἐδέξατο Λαὸς
Κῆρα φυγόντ', ὅτε δή σε κακὰ πνείοντες Ἄῆται
Μέλλον ἐν ἀτρυγέτοιο κάλυψαι βένθεσι Πόντου,
Εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Πατὴρ ἁλὸς Ἐννοσίγαιος
Ἀγλιαοῖς φίλος αἰέν, ἄφαρ δ' ἑο χειρὶ παχείῃ
Νῆα ἐπίθυνεν, ἣ ἀπὸ νευρῇφιν οἴσῃ
Ὠκυτέρως πλαμένη Λιμνάων μυχὸν εἰσενέδυνεν.
Δὴ τότε χαιρόμενός σε μὲν ὄλβιον, ὅττι μάλιστα
Φάσκε, πολυχρονίοντ' ἔμμαι, ὃ δὲ νήπιος ὅσσον
Ἐλπίδος ἤμβροτ'; ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ ἦεν.

Αὐτὰρ

Αὐτὰρ ἄχθ᾽ μέγα τῦτο πόλῃ τε, παντὶτε Δήμῳ
Γίνετ᾽, ἐπεὶ Σύγ᾽ ἅπασιν ἐπίσασο μείλιχθ᾽ εἶναι.

Οὔδε μὲν Ἠέλιός ποτ᾽ ἀμείνονα φῶτα πεφσεῖδεν,
Ἐξ ὗ δὴ ταπρῶτα μέγαν δρόμον ἤρχελο βαίνειν,
Ἠέλιος, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ, οὔδ᾽ ἐννέα Μῦσαι
Μνημοσύνης φίλα τέκνα ἐπίσαιν᾽ Ἀνέρα εἰπεῖν
Φέρτερον· ὁππότερον γὲ Ἀρήϊα ἔργα μεμηλὼς
Νῆας ἐπιπρεφέηκε, Φόβος τ᾽ ὀλοὰ φρονέοντας
Ἐν λιμφύεσ᾽ ἐπέδησ᾽, ἄνεμος ὡς ἀντία πνείων,
Ἢ Λαῷ ἐπίφρος ἐαδότα θέσμια δῶκεν,
Ἢ ὅτε δὴ χρύσεια γ᾽ Ἄναξ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ᾽ ἐπίθει δύο κῆρ᾽ Εἰρήνης τε Πτολέμῦ τε,
Πολλάων δ᾽ ἄρ᾽ ἅμα Πτολίων ἄφενός τε, κὴ ἄνδρας
Ἴσαζεν, πυκινὰ πεφπίδεσ᾽ ἕνι μήδεα βάλλων,
Οὐκ ἂν ἔπ φαίης κείνῳ ἐναλίγκιον Ἄλλον.

Τέυχεν ὃκ Αἴδαο μυχοῖς ἵνα πάντα λέληϊσι,
Κεύθεσι, ἀλλὰ βεβήκει ἐς Ἀσφοδελὸν Λειμῶνα
Κλειτὸς Ἀνὴρ· ἵνα ἄλλοι, οἳ εὖ ῥέξαν γένος Ἀνδρῶν
Ἡμίθεοι, Ἥρωες· ὅσῦς ἄρα γείνατο Μοῖρα
Ἄλλαις ἐν γενεῆσιν ἀμύμονας ἄλλυδις ἄλλῦς,
Νὺν ὁμαδὸν Πάντες δὲ κῦ χρόνον αὐτὸν ἐν αὐτῇ
Χώρᾳ ἧς ἀρετῆς γέρας ἔλλαχον, ἠδ᾽ Ἀμαράντῦ
Γηθόσυνοι πυκινοῖσι κάρη φύλλοισιν ἔρεψαν.

Ἀλλ᾽ ὃκ ὀρφανικόν γε Βρετανίδι ἦλυθεν ἦμαρ,
Ἄλλος ἐπεί ῥα Πατὴρ οἱ ἕπεσι, ΓΕΩΡΓΙΟΣ ἄλλος.
Πάντα δ᾽ ἔπ σήσονται ἐπ᾽ ἀρχαίοισι θεμέθλοις·
Κρηπῖδα σέψαῦς ἐλεύθερον, ὡς τὸ πάροσπερ,
Πατρῴοις τε Θεοῖς ἐπιβώμια ἔρδεμεν ἔσαν.
Ἠδ᾽ ἔπ σεῖο γεωργὸς Ἀνὴρ κλέος ἐσθλὸν ἀείσῃ,
Εἰρήνη πολύκαρπε, πολύσακυ, δῶτορ ἐάων.
Ἡμέτερῳ γὰρ Ἄναξ ἀτελεύτητον μέγα ἔργον
Πατρὸς ἐῦ φθινύθειν ἀνεμώλιον ὄπποτ᾽ ἐάξῃ.

Τίς δ᾽ ἄρα Μῦσάων ἐπιφήτης ἀξιος εἴη;
Ταὶ γὲ ἐπίσανται μαντεύεμεν, ὅσσα οἱ Αἶσα
Γεινομένῳ ἐπέννησε Λίνῳ, ὅσον ἔσελαι Ἀγλαῶν

Καὶ κλέος, ἠδ' ὄφελός γ'· αὐτὰρ Ζεὺς Ἀνέει τότῳ
Δῴη ἀπημονίλευ καθαράντε, ϛ ἀχεάαντον,
Δῴη ϛ θαλερᾷ Παρακοίπδι, ἣ μάλα ἔργα
Οἶδεν Ἀθηναίης, τάτε χρύσεα δῶρ' Ἀφροδίτης
Πάντα ἔχῃ, κὴ τέυεχ' ἄεισϴ ἔμμέ μιν Ἀνήρ.
Κεινῇ δ' αὖ πιυτῇ θελκτήρια πάντα τέτυκται,
Ὡς ἄρα πείσεσθαί τε νόον μάλα δηρομόντων,
Ἄτη δ' οὖν, ἣν δηθὰ Βρετανίδι ἔτρεφε Μοῖρα
Πῆμα, κατηφείηθ', ἣ δὴ κῆ κεφάλα ἀνδρῶν
Νύκτ' ἰκέλη πέταται, τάδ' ἄρ' οὖλα νοήματα ἐμπνεῖ,
Νοσήσῃ, περλιπῦσα γλυκὺ φάος, εἰς Ἀϊδος δῶ.

Ἀλλὰ κὴ ὑμνήσαιμι φίλῳ ϖεὶ Μητέρα Τέκνα,
Ὡς πῦ ἐν ἠερανῷ ἄστρα φαεινὰ ἀμφὶ Σελήνῃ.
Θυγατέρας καλάς τε, καὶ ἔργων εὖ εἰδυίας
Οἵ' εἰκὸς, ἃς δή ῥα πύκ' ἔτρεφε Δῖα Γυναίκων,
Καὶ νέον Οὐέλιμόνγ' ἐειδηλέϊ εἰκότα ἔρνῃ,
Κεῖνόνϑ', ὅς ποτε μέλλῃ ἐπ' Ἀγλαῶν παισὶν ἀνάσσειν,
Ὡς ἄρα θέσφαλόν ἐσι, ϛ ἔκλωσαν θεοὶ αὐτοί,
Τῶτο δ' ἄρ' ὀψιτέλεσον ἅπαντες ἐπευχόμεθ' εἶναι,
Αἰ γὰρ, Ζεῦ τε Πάτερ, κὴ Ἀθηναίη, κὴ Ἄπολλον,
Οὕτω γ' ἀθάναλος Βασιλεὺς, ϛ ἀγήραος εἴη,
Ὡς Δήμῳ μέλλει φίλος ἔμμεναι ἤματα πάντα.

Ὣς ἄρ' ἄχος, τό τε χάρμα ἀμοιβαδὶς ἐν φρεσὶν Ἀνδρῶν
Φαίνονται· θανάτῳ γὸ Ἀνακτϴ ὅτ' Ὄσα δεδήῃ
Πρῶτον, ὀείνησαν πᾶσιν φρένες, ἀλλ' ὅτε Λαῷ
Ἄλλος ἀνισάμῳϴ Βασιλεὺς ϖαδέξι' ἔφηνεν
Σήματα, γηθοσύνῃ σήθεσφιν ἰαίνετο ἦτορ.
Ὡς ὅτ' ἐπαιγίζῃ ϋ κακὰ ἀνέμοιο θύελλα
Ληΐον ἐς βαθὺ, δεινὰ πνέυσ' ἅμα σὺν Διὸς ὄμβῳ
Νύχια δι' ὀρφναίῳ, χαμάδις βάλλυσι κάρηνα
Βεθόμῳαι καλάμαι· ὅτε δ' αὖ ἀναφαίνεται Ἠὼς,
Εὐδυσίν τ' ἄνεμοι, ἠδ' Ἠέλιος μάλα θάλπῃ
Ληΐον ἀκτίνεσι, πάλιν φείασυσιν Ἀρυραι
Γηθόσυναι, σίλβῃ τε ϖεὶ καχύεσιν ἐέρσῃ.

S. Patrick, A. B. Aul. Cath. Soc.

LUCTUS ET GAUDIA.

Cum fato occumbant, quos purpura regia cingit,
Attonitum dolor urget ineluctabilis Orbem;
Cumque piis manibus rerum tradantur habenæ,
Certatim exultans populus nova gaudia fundit.
Hanc dubiam ſentit jam noſtra Britannia ſortem,
Ingemit avulſum Patrem, Natumque Paterno
Subnixum ſolio lætis amplectitur ulnis:
Sævaque tempeſtas, gratâ & vice lenior aura
Luctu animos premit, & blandâ dulcedine mulcet.
Felici fidos cum rexerat arte Britannos
Georgius, & gentes in fœdera miſerat æqua,
Imperii poſuit curas, requiemque capeſſit,
Quam mundo donârat in horrida bella ruenti.
At Grantæ natis hederæ dum tempora cingent;
Quæ tua ſervabunt doctiſſima munera, Georgi,
Mœnia dum nitidis ſtabunt innixa columnis;
Dum juvenes diſcent peregrinas fundere voces,
Et variis linguis perſcripta volumina pandent,
Per tot ſæc'lorum ſeriem tua fama manebit,
Inque dies grato Muſarum carmine creſcet.
At quantò Tu plura trahis præconia, tantò
Nos luctu obruimur graviori; quanta tuliſti
Commoda munificus, tantos, heu! morte dolores
Spargis per mœſtorum oculos atque ora Britannûm.
Sed lacrymas, Patris quas aſpera fata ciebant,
Hæres abſterſit regni & virtutis avitæ;
Cui ſolium pietatis honos regale dediſſet,
Si non donâſſent ducta ordine ſtemmata longo.
Quàm, Rex æque, juvat memorare vicaria Sceptra,
Quæ tua vibrabat pro magno dextra Parente,
Cum ſedes patrias, & amata reviſeret arva?
Tunc animus placidi poſuit præludia regni;
Illæ & virtutes patuêrunt omine fauſto,
Quæ regem fingent magnum, populumque beatum.
Nec ſolùm propriâ virtute Britannicus ardet
Cæſar, at aſcito Carolinæ lumine fulget,
Ut radiis magni pariter nitet Illa Mariti.
Pectore Quæ firmo potuit contemnere Sceptrum,
Imperiique *Fidem* rutilis præponere frœnis,
Imperii Conſors Tibi Numine jungitur æquo,
Et meritos Tecum, pie Rex, partitur honores.

Proles eximios beat haud indigna parentes,
Et præſens decus Anglorum, columenque futurum.
Quàm lætis omnes properantem ad littora amatum
Luſtrabunt FREDERICUM oculis, inque ore videbunt
Illuſtris Nati totum ſplendere Parentem?
Neve olim, GULIELME puer, ſpes altera, veſtram
Fruſtra poſcet opem dilecta Britannia, fortis
Seu radias armis, placidas ſive excolis artes.
At, formoſa Cohors, quæ vobis digna loquemur,
Queîs omnis virtus, formæ decus eminet omne?
Seu quis concinnas artes numerare valebit,
Quæ ſolâ Auguſtâ vos reddunt Matre minores,
Angliacumque novo decorant diadema nitore?
Cum tot pignoribus propriæ noſtræque ſalutis
Incedat cinctus patriæ Pater, haud eget armis,
Queîs regat Imperium, populo dare jura volenti
Callidus, atque animis placidè dominarier æquis.
Fatidicis dictis hinc omnia pandere fauſta
Fas erit, & luctus compeſcere; GEORGIUS alter
Jam lætos regit auſpiciis felicibus Anglos.
Sic cum purpureos dimittere deſinit ignes
Phœbus, & obſcurâ vultum ferrugine condit,
Omnia nigreſcunt tenebris, hominesque pererrant
Avia, perculſi longæ formidine noctis;
Sed citò vaneſcunt tenebræ, vanique timores,
Cum novus optatâ fœcundos luce reviſit
Sol agros; redeunt & Spes & gaudia longa;
Lætatur placido recreatus lumine mundus,
Ac genibus flexis redivivos ſuſpicit ignes.

Ph. Williams, S. T. B.
Coll. Div. Joh. Ev. Soc.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

ERRATUM.

In Schedâ notatâ D. pag. 4. lin. 29. lege MARIA.

FINIS.